




Adversus sacramentariorum errorem pro vera Christi praesentia in Coena Domini, : homiliae duae,

<https://hdl.handle.net/1874/423056>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board











The image shows the front cover of an antique book. The cover is decorated with a traditional marbled paper pattern, often referred to as a 'stone' or 'shell' pattern. This pattern consists of dense, overlapping, scalloped or shell-like shapes in a rich palette of red, deep blue, and ochre yellow, all set against a dark, almost black background. The overall effect is a complex, organic, and highly textured visual. The book's spine is visible on the right side, showing a plain, aged, light-brown leather binding. In the lower right corner of the cover, there is a small, oval-shaped white paper label. On this label, the letter 'E.' is printed in a simple, black, serif font, with the number '2' printed directly below it. The book shows signs of age, with some wear and discoloration, particularly along the edges and the spine.

E.
2

E. oct.

275¹.





E. 82 275 1/2

ADVERSUS SACRAMENTARIORVM
ERROREM PRO VERA CHRIST
IESTI PRÆSENTIA IN COENA

DOMINI;



HOMILIAE DVAE, AVCT
TORE NATHANAELE
NESEKIO. *Byza author*



THEOPOLI.
M. D. LXXV.

ADAM'S

GRAND

AND

...

...

...

...

...

...

...

...

HOMILIA PRIMA

HABITA VII. APRILIS,

LIS, 1574



DICTVRVS de Cœna Domini initium faciam à Domini verbis ex capite Iohan. 17. Hæc est, inquit Dominus, vitæ æternæ, vt te cognoscant solum verū Deum, & cum quē misisti Iesum Christum. Ex his igitur verbis duo intelligimus. Primum, à Dei veri, qui etiam vnicus est, notitia pendere salutem nostram. Alterum, hanc notitiam ad salutem nobis demum patefactam esse in Filij persona, ita vt qui de Deo extra Christum sapiat, nihil ad salutem sapiat. Ex eo etiam illud efficitur, perspecta nobis persona & officio Christi (hæc enim duo simul coniungenda sunt) intelligi simul à nobis vitæ æternæ veram vnicamque rationem. Et quum controversia de Cœna Domini ad hunc scopum referenda sit, illud quoque faten-

dum est, non posse dirimi controuersias de his rebus exortas, neque intelligi quid verè sit nobis constituendū de Cœna Domini, nisi initium faciamus ab ijs quæ cognoscenda sunt de Iesu Christo. Itaque antequam ad rē ipsam accedamus, quid sit de Christo nobis ex Dei verbo credendum explicabimus. Res ipsa certè indicabit posito illo fundamento futurum vt multi errores sua sponte corruant & euanescant. Certum enim est multas agitatae quæstiones inde natas esse, quòd qui vsque adeò pertinaciter illa sua dogmata defendunt, aut non intellexerunt aut dissimularunt quid de Christo sibi nobis sentiendum. Positis igitur aliquibus, ad hanc amussim deinde exigemus varias ac etiam repugnantes de Cœna Domini opiniones, & quæ principijs illis immotis respondent, veras, quæ discrepabunt falsas affirmabimus. In Christo igitur dico duo esse potissimum nobis consideranda, Personam & officium. Personæ nomine intelligimus
ipsum.

ipsummet Christum. Officiū autem vocamus munus illi impositum à Patre nobis seruandis, quod ipse perfectissime & cumulatissime obiit. Primo autem loco dicendum de ipsa Persona Christi, quam certe necesse est eiusmodi statui, vt illud munus sustinere & implere prorsus potuerit. Nisi enim constet talem esse Christum, vt omnia necessaria & congruentia suo muneri implere potuerit, frustra de eius officio differemus. Sunt igitur in Christo duo consideranda, nature videlicet ex quibus constat, & ipsa Persona ex ijs veluti cōflata. Per naturas non intelligimus vim naturalem, vt cum dicimus hanc esse naturam hominis, belluæ, stirpis huius vel illius rei, neque vim formalem: essent enim duæ personæ ex quibus Christus constitueretur, sed illas duas *diuitias* ex quibus persona Christi constituitur. vt, verbi gratia, si dicamus hominem cōpositum ex duabus naturis, vna spirituali, quæ est anime natura, altera corporca, quæ est corporis. Sic etiam di-

6 Pro uera Christi præsentia,

cimus Christum constare ex duabus naturis, quarum vna est Deitas, altera Humanitas. Obiter autem hoc dicā, cogi nos nouo sermone uti ad vitandos nouos errores, aut interpolatos quibus multi hodie sese implicāt. Ut enim suo loco dicemus, exorti sunt nostra memoria, q̄ renouato partim errore Eutychetis, partim Nestorij, pro Deitate inuehūt diuinitatē. ideo cogimur nunc Deitatem à Diuinitate distinguere. Et sanè non temere Paulus ubi dicit plenitudinem diuinitatis habitare in Christo, vsus est non θεότητος sed θεότητος nomine. Hæc enim, ut alia multa, Græci nescio quo modo multò melius exprimūt quàm Latini, quemadmodum etiam in hoc argumento multò libentius ἀνδρωπότητα, id est, si loqui Latinè sic liceat, humanitatem quàm humanitatem perspicuitatis causa dixerim. Itaque in p̄sona Christi intelligimus duas esse *scias*, nempe Deitatem & Humanitatem. Sic loquitur Athanasius in suo illo celebri symbolo, ὁμοούσιος Patri, id est,

est, θεός ἐκ τῆς ὑσίας τοῦ πατρὸς, ἄνθρωπος ἐκ τῆς ὑσίας τῆς μητρὸς, id est, ὁμοῦσιος nobis. Postea vta est Ecclesia nomine φύσεως, id est, Naturæ, ὁμολογῶμεν, inquit Synodus Chalcedonēsis, Filium constare ἐκ δύο φύσεων. Nec sanè temere vsurpatum est φύσεως nomē. quam si vocabuli proprietatem spectemus, vox φύσεως non competit diuinitati. Venit enim παρὰ τὸ φύνεσθαι, id est, nasci, quod rei creatæ non ipsi Deo creanti competit. Ratio igitur quæ mouit patres vt hac vocerentur, hæc videtur fuisse, quòd aduersus Eutychem disceptarent, à quo non tantùm istæ naturæ, sed etiam naturarum proprietates confundebantur. Quoniam igitur Eutyches ytrunque errorem illum tuebatur, & nomen πῆς φύσεως præter οὐσίαν ipsas quoque proprietates declarat, quibus natura illa definitur & secernitur à reliquis, idcirco nomen φύσεως videtur à Patribus vsurpatum. Statuamus in summa quum Christum dicimus ex duabus naturis constare, intelligere nos dei-

8 Provera Christi presentia,

tatem & humanitatem, θεότητα ἢ ἀν-
θρώπιότητα. Iam veniamus ad vocem
Personæ. Personam dixerunt tandem
quod priores appellabant ὑπόστασις, &
Latini nomen hoc Personæ retinue-
runt. Cæterum in diuinis distinguun-
tur οὐσία & ὑπόστασις, hoc modo: Per
ὑπόστασις significantur quæ subsistunt
in communi essentia, adiuncta pro-
prietate, qua vna hypostasis ab altera
secernitur. Nomine igitur οὐσίας, Deus
sive Deitas ipsa significatur: ὑπόστασις
autem dicuntur, Pater, Filius, & Spi-
ritus sanctus. Non autem est temere
factum, vt Ecclesia vsurparit nomen
Personæ, quod Boëtius sic definiuit,
vt diceret esse proprietatem commu-
nicabilem rationalis substantiæ, quo-
niam nimirum multi duabus his vo-
cibus ὑπόστασις & οὐσία, promiscuè
utebantur, maximo errore. Sic Latini
pro subsistētia siue persona dixerunt
substantiam, id est, vt Dialectici lo-
quuntur, οὐσίαν substantiam appel-
lant. Ergo vt hæc ambiguitas vitaretur,
cœpit vsurpari vox προσώπων. Iam
dicamus

dicamus planius, vbi agitur de Christo, quid vocemus Personam, An illud, quod veluti compositum est ex Deitate assumente & carne assumpta, ita, vt, si liceat nobis Christum in partes secare, pars illius personæ sit Deitas, & pars altera humanitas? Nequaquam. Nec enim Christus vocatur Persona propriè humanitatis respectu, sed diuinæ tantum, quanquam non ab humanitate separata. Causa hæc est, Si substitisset natura humana antequam assumeretur à diuina, id est, à Verbo, iam esset vnio duarum personarum non naturarum, ac proinde Christus esset persona conflata ex duabus personis. Hinc multa absurda, incōmoda ac plane etiam impia consequerentur, de quibus nunc non est dicendi locus. Itaque sic statuendum est. Naturam diuinā assumpsisse humanam formando illam, & dum formaretur assumpsisse, id est, humanam naturam Christi nunquā existisse nisi in Deitate. Idcirco humana natura in Christo non est persona, sed

humanitas subsistit in persona Verbi. Itaque Christus non est persona duplex, siue cogitatione siue re ipsa, sed duarum est naturarū vnica persona. Nam Verbum est simul natura & persona, humanitas autem non est aliud per se quàm natura, quæ (vt loquuntur in scholis) personatur & sustentatur in Deitate assumente, vt iam non sint duo filij, vnus videlicet æternus & naturalis siue ex essentia Dei patris, alter verò creatus & adoptatus, sed vnicus ille æternus Dei filius, vnitam sibi naturam sustentans, vt non duo sint Christi, sed vnicus, Deus simul & homo, ex quo sibi naturā assumptam vniuit. Iam habemus quid vocemus Christi personam, nempe filium Dei manifestatū in carne. Veniamus iam ad vocem vnionis. Est enim vnio illud, quo copulantur istæ duæ naturæ, Deitas seu Verbi hypostasis, & humanitas. Græci *ἐνωσις* appellant: copulationem videlicet duorū vel plurium, talem, vt ex ijs pluribus vnum aliquid euadat. Sunt autem multæ species

ἐνώσιον. Nam interdum natura cum
 forma, accidens cum subiecto, partes
 cum partibus ad constituendum to-
 tum vniuntur. Aliud ergo est vnitio;
 aliud vnitas. Nam vnitas non est nu-
 merus, nec necessariò præsupponit
 numerum, nisi in compositis, sed est
 initium numeri. Ideò vnitatem qui-
 dem personæ, vnitionem autem na-
 turarum pōnimus in Christo. Ista vo-
 cabula sunt obseruanda, quorum ne-
 glectio magnas in his disputationi-
 bus confusiones parit. Certe res sunt
 prorsus diuersæ ἐνώσις & ἐνωσις. Siqui-
 dem in mysteriò Trinitatis vnitas est
 essentia, Trinitas in personis. Contra
 in Christo vnio est naturarum, & vni-
 tas personæ. Rectè ergo Patres dixe-
 runt, in diuinis non esse Aliud & Ali-
 ud (nam in diuinis est vnica simplicis-
 sima essentia:) sed esse Alium & Aliū.
 nam alius Pater, alius Filius, alius Spi-
 ritus sanctus. Causa est, quia quum
 dicimus Alius, personā intelligimus:
 cūm Aliud, naturam. Non est itaque
 Aliud in diuinis. esset enim multipli-
 catio

catio Deorum. In Christo contrà est Aliud & Aliud (quia Deitas aliud est quàm humanitas:) non Alius & Alius, quia vnicum est ἰφισάμωρον Christus, constans nō ex duabus personis, sed ex natura assumpta, quæ subsistit in diuina. Iam veniamus ad pleniorē vnionis explicationem. Vnionis hæc species hypostatica vocatur: ex cuius vera definitione pendet refutatio maximorum errorum, quibus hodie nimium multi laborant, sicut intelligemus quando ventum erit ad rem ipsam. Vnio igitur hypostatica describenda nobis est ex ipso Dei verbo. Primum dicit Esaias hunc nostrū seruatorē esse Emauelem, id est, nobiscum Deum. Iohannes autem explicans impletionem huius prophetiæ, inquit, Verbum caro factum est. Quia verò quippiam potest dici fieri multis modis, explicatur ille modus ab Apostolo in Epistola ad Galatas, cum ait, Filium assumpsisse semen Abrahæ. Nomen ergo assumptionis declarat illud Iohannis: Et Verbum caro factum

factum est, & hoc vtrūque rursus explicat quomodo Christus sit nobiscū Deus: & hæc omnia coniuncta vnionem hypostaticam definiunt. Cæterum qui locum illum Iohannis ex Epistola ad Hebræos nō sunt interpretati, inciderūt in varios errores. Nam alij interpretati sunt, Verbum esse factum carnem, quod Verbum fuerit assumpto corpore instar animæ, nempe vt sicut anima coniuncta cum corpore hominem informat, ita Filij hypostasis assumpserit corpus illud, vt sic Christus euaderet. Priuarunt igitur illi Christum animam humanam, cuius loco Deitatem substituerunt. At qui præterquam quod hoc Apollinarij dogma perspicuis Scripturæ testimonijs refellitur penè infinitis, nisi animam quoq; assumpsit Verbum, perire animas nostras necesse fuerit, quum id demum seruetur, quod Christus in se se instaurauit: neque propriè passus fuerit Christus, quum propriè afficiatur anima, vt alij absurdissima prætermittam. Alij commenti sunt

pro

pro vera carne spectrum quoddam, eoque detorserunt ὁμοιώματος nomē in his Pauli verbis, Factus in similitudine carnis peccati, quos δοκίτας appellarunt. Horum si vera esset sententia, non esset Christus reipsa Iesus siue Seruator, vt qui reipsa neq; natus neque passus fuisset pro nobis. Sunt qui repudiatis istis erroribus incidāt in alios, non minus absurdos & detestandos, quia, vt ille inquit, Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt. Nestorius enim sic interpretatus est, Verbum caro factum est, id est, Deitas Filij Dei plenissimè effudit suam ἐνέσχεον in illam assumptam carnem, quæ interpretatio si vera est, Christus non est Deus, sed diuinus: & quanuis inter sanctos excellentissimus, non tamen adorandus, neq; seruator habendus, quum tamen Paulus Christo non tribuat θεότητος, sed θεότητος πλήρωμα, & longè sit aliud θεάνθρωπον esse, quàm θεόφωρον. Itaq; Nestorius Christum facit non vnione ipsiusmet hypostaseos Verbi Deum, sed παρυσία tantum

tantum & *ἑτερογενεία* siue donorum effusione diuinissimum: & præterquam quòd Christi personam dissoluens, purum hominem eum facit, personam etiam ponit in carne, quum contrà caro assumpta in Deitate assumente sustentetur. Eutyches in contrarium errorem lapsus existimauit his verbis, Verbum caro factum est, id significari, Verbi hypostasim mutatam esse in carnem, & pro vnione naturarum substituit Deitatis abolitionem, id est, pro luce tenebras: qua in re turpissimè hallucinatus est. nã præterquam quòd Deitas est immutabilis, si verum est, quod Eutyches dicit, desierit Verbum esse Deus, simulatque factum est caro, quia quod mutatum est, desijt esse quod erat: veluti quum virga Moisis mutata esset in draconem, desijt esse virga, & cœpit esse draco: sicut docet Aristoteles priuatione siue abolitione vnus formæ induci alteram. Quòd si negetur abolitio, vt statuatur permixtio, siue ipsarum naturarum, id est, deitatis & humanitatis, siue proprietatum

tatum alterutrius, efficietur quod etiam est illo absurdius, Christum uidelicet, nec Deum esse nec hominē, sed quiddam tertium ex utroq; conflatum, sicuti mulsum nec vinum est nec mel, sed quiddam ex utroq; compositum. Et quid istis erroribus portētiosius fingi potest? Refutantur autem breuissimè simul & solidissimè omnes isti errores vnico Assumendi verbo rectè explicato, id est, ex alijs Scripturæ collatis locis. Cedò igitur tandem quid est unio hypostatica in Christo? Est assumptio humanæ naturæ sustentatæ à diuina, id est talis ut ex illa unione prodeat vnicum ἰψὸς αὐτῶν, in quo natura illa diuina, id est, hypostasis Verbi dominatur. Iterum repeto. Unio hypostatica ea est, ex qua resultat vnica hypostasis, cui declarandæ Patres vsi sunt similitudine corporis & animæ, authore præsertim Athanasio illo istius veritatis cōstantissimo & fortissimo vindice. Anima igitur quædam iuncta cuiusdam corpori constituit vnum quoddam suppositum,

positum, vt Petrum, Paulum, Ioan-
nem. Sic verbum æternum Patris as-
sumpsit carnem illam virginis, id est,
eam ita sibi propriam effecit, vt hinc
euadat illud suppositum, quod voca-
tur Christus. Hoc mysterium ita no-
bis considerandum esse, liquido appa-
ret ex verbis Ioannis 10. cap. Potesta-
tem habeo ponendi animam meam,
& rursus assumendi eam. Necessè est
enim Christum sic locutum esse vel
seorsim secundum corpus aut secun-
dum animam, vel secundum corpus
& animam simul, vel distinctè secun-
dum Deitatem. Secundum corpus
seorsim consideratum non potuit sic
loqui Christus, quia non dicitur cor-
pus ponere, vel accipere animam, quæ
tribui non possit actio tam præstans
instrumēto, quod animæ potius sub-
ijcitur. An verò seorsim habita anime
ipsius ratione? nequaquam. Nam di-
cendum potius fuerat Christo, Pote-
statem habeo deponendi me ipsam,
& rursus me ipsam assumendi. Certè
in resurrectione non iterum assumitur

B

anima,

anima, sed corpus. ergo ista non possunt tribui Christo siue secundū corpus, siue secundum animam. Num ergo secundum istud utrunque? Imò necesse est hoc referre ad tertium aliquid, quod dicatur ponere & assumere animam suam. Christus igitur secundum Deitatem suam sic locutus est, & quum dicat se potestatem habere deponendæ animæ & rursus sumendæ, rursus patet illud, quod tractamus mysterium. Sic enim significatur ipsæ naturæ re ipsa sic coniunctæ, ut non duo, sed vnum, & quidem absq; confusione cōstituatur, altera tamen dominante. Et obseruandū est Christum dicere, Potestatem habeo deponendi animā, nō quamuis sed meam. Nō potest igitur hoc eò referri, quòd Deus sit omnium extantium rerum dominus: sed declarat hanc animam quam depositurus est, aliter suam esse quàm reliquorū animas. Quomodo ergo Christi est? nempe vnione hypostatica. Dicit Scriptura Deū habitare in nobis. idem tamen non habitat in sanctis

sanctis vnitione ista. Nostra enim corpora sic sunt tēpla Spiritus sancti, vt tamen nō constituant vnū *ἑνὸν ἅμφοτερον* cum Spiritu sancto, quum homo sanctificatus, seorsim sit vnū quiddam, & Spiritus sanctus itidē, nempe Deus æternus. Sic Dæmon & quispiam dæmoniacus cōiunguntur. sed Spiritus impurus non est in homine, vt anima in corpore. Manet enim seorsim Dæmon vnū quiddā, quale est hospes in hospitio: & vicissim dæmoniacus sic est Dæmoni hospitium, vt alius sit hospes. Nos autem sic dicimus habitare Verbi hypostasim in illa humanitate assumpta, vt ei se vnierit vnione hypostatica, sic nimirū, vt assumpta illa natura sustētata in assumente cōstituat vnū suppositū, quod est verbū æternū Dei. Ex eo consequitur non esse duos Filios Dei, multò minùs duos Christos, vnū Mariæ, alterū Dei filiū, sed vnicum Emanuelem ac Seruatorem. Hæc est vera descriptio vnionis hypostaticæ, sicut multò etiā magis liquebit, si cū hac veritate cōparemus istius

brut
 vnionis descriptiones partim ex uete-
 ribus hæresibus repetitas, partim re-
 cèns illis interpolatis excogitatas. Pri-
 mùm sunt qui apertè dicant, habita-
 tionem Dei in Christo non esse aliter
 cõsiderandã in Christo, quàm in reli-
 quis hominibus, imò etiã in reliquis
 rebus creatis. Scripsit hoc totidè ver-
 bis in suis illis, quibus classicum ceci-
 pit thesibus Iacobus Andreas, nempe
 habitationem Filij Dei in Christo nõ
 aliter considerari quàm in rebus om-
 nibus creatis, quòd attinet ad habita-
 tionẽ essentialẽ, quoniam Deus est
 ubiq;. Si q̄ras, quæ ergo erit differẽtia
 hypotasticæ vnionis? In eo (inqt) posi-
 ta est, quòd in reliqua omnia Deitas
 effudit proprietates aliquas, in Christi
 verò humanitatẽ omnes. Mirum post
 istas tam diu iam pridè agitatae & tam
 solẽnibus Ecclesiæ Christiane iustissi-
 mis iudicijs damnatae, tõtque ex ipso
 cælo in istarũ impiarũ blasphemiarũ
 auctores aut fautores exortis telis cõ-
 fossas opiniones, exoriri potuisse, qui
 & ore & scriptis illas tueri, & quidem
 tanto

tanto cum imperitissimorum hominum applausu, audeant. Quis enim, nisi planè cæcus, non videt, si non aliter est Verbum in Christo præsens quàm in rebus multis, nempe enter, præsender, potenter, vt in scholis loquuti sunt illi: dissolui Christi personam ex Nestorij dogmate. posita autem omnium Deitatis proprietatum reali in carnem assumptam effusione, alteram Eutylianæ impietatis patrem instaurari? mirum sanè portentum, ex tam diuersis, nempe separatione naturarum, & proprietatum alterius in alteram effusione, nostra primùm memoria impudentissimè conflatum, & inscientissimè à nostris Vbiquitarijs defensum. Sed hoc quid sit, propius agè dispiciamus. Hoc dico, Si hypostatica vnio definienda est ex omnium proprietatum effusione: consequi quod omnium maximè falsum & impiū est, Aliquatenus Deum esse reb' omnibus creatis hypostaticè vnitum. Quamobrem quia omnium & aliquarum tantum proprietatum

B 3 effusio,

effusio, non differunt genere, sed tan-
 tum secundum plus & minus. Ergo vel
 non aliter Christus fuerit Deus quam
 quidvis aliud, quamuis perfectior cæ-
 teris fuerit: vel diuinæ fuerint res cæ-
 teræ, diuinissima verò Christi caro.
 Itē si vera esset illa hypostaticæ unio-
 nis definitio, cōsequeretur tres personas
 unitas esse illi carni assumptæ: siquidē
 essentialēs proprietates ipsius Deita-
 tatis sunt tribus personis in vna ea-
 demque essentia communes. Itaque
 infinitum, omnipotentē, omnisciū,
 omnipresentem (vt nunc loquuntur)
 esse, non sunt aut Patris, aut Filij, aut
 Spiritus sancti proprietates, sed ipsius
 vnica ac plene singularis Deitatis: ex
 quo cōsequitur posita illa hypostaticæ
 unio-
 nis definitione, tres psonas esse
 incarnatas, vt amplius etiam quam
 Patropassiani euadamus. Præterea sic
 spoliaretur Deitas suis proprietatib⁹,
 ijs inquam, quæ sunt ei maximè (vt lo-
 quuntur Dialectici) quarto modo pro-
 priæ. Nam certè si re ipsa humanæ na-
 turæ assumptæ communicantur, iam
 desinunt

definunt esse Deitatis propriae, nisi proprium & commune idem esse statuamus. At contra, Dominus apud Prophetam, Gloriam meam (inquit) alteri non dabo. Quid amplius? quem isti priore dogmatis sui Nestoriani, parte ex θεανδρώπῳ θεόφορον faciunt, eiusdem carnem omnibus sine exceptione in eam effusis reipsa Deitatis proprietatibus, in Deitate altera Eutychiana dogmatis sui parte transformant. Iam vero si Deo nihil accidit, quoniam reipsa effusae fuerunt in assumptam carnem proprietates, quibus à creatis rebus distinguitur, quoniam fuerit humana natura in factitiam quandam θεότυπα commutata? Quod si negent isti, ut aliquando negare video veritatis ipsius vi coactos, portet osam illam suam omnipraesentiam, cuius vnus causa (quidquid simulent) monstrum istud ubiquitarium nobis adorandum proponunt, non haerere carni tanquam subiecto, neque esse accidens, sed duntaxat quasi accidens, quoniam hae sunt portenta, carni ponere realem

In sese omnipraesentiam, quamuis non
 ex sese, cuius tamen subiectum non sit
 caro ipsa, sed Deitas: non aliter tamen
 carni quam caeteris quibusuis praesens?
 Et quid istos pudeat, quos istarum usque,
 adeo non pudeat, ut etiam ausint no-
 bis obijcere, quod Theologica exigamus
 ad philosophiae normam? Profe-
 ro velint, nolint, si hypostatica unio
 definitur non ex ipsiusmet hyposta-
 ses Verbi cum assumpta carne in v-
 num idemque $\delta\phi\iota\sigma\mu\lambda\omega\sigma\upsilon$ absque vlla
 tamen reali vel ipsarum naturarum
 vel essentialium, quibus praeditae sunt
 proprietatum unione, sed ex uniuersali
 $\epsilon\upsilon\epsilon\sigma\gamma\alpha\omega\mu$ assumentis naturae in al-
 teram assumptam effusione (quod
 monstrum tum ex Nestorij tum ex
 Eutychetis foetidis lacunis haustum
 & reiectum Brentius, Smidelinus,
 Illyricus, & caeteri isti belli homines
 Ecclesiae Christi propinant) neque
 Deus neque homo est Christus, ne-
 dum ut sit $\delta\epsilon\acute{\alpha}\nu\delta\epsilon\omega\pi\omicron\varsigma$, sed Chimera ex
 crassissima $\sigma\upsilon\chi\upsilon\sigma\alpha$ conflata. Quid
 quod excipere quaedam necessario co-
 guntur,

guntur, postquam omnia dixerunt
 effundi? Nam ipsum certè, Absque
 principio, siue A seipso esse, tribui rei
 creatæ nō potest, sed vniri hypostati-
 cè potest ac vera vnitū est, quia ve-
 rum illud esse oportet, Antequam
 Abraham existeret, ego sum, nempe
 q̄a qui filius est Mariæ factus post tot
 euoluta ab origine mundi secula, idē
 ille est λόγος qui erat in principio: nō
 ob ἐνεργεῶν plenam effusionem, sed
 ob ipsiusmet θεότητος in verbi hypo-
 stati σωματικῆν vnitionem. Itaq; si istis
 creditur, æternus non erit iste filius
 Mariæ, quoniam in assumptā carnem
 effusum non fuerit τὸ ἀναρχον, cuius
 (vel ipsis cōfiteñtibus omnium aliq̄
 proprietatum effusoribus, vel potius
 euerforibus) particeps esse nō possit.
 Hinc itaque veluti ex suo quōdam
 propugnaculo depulsi, cō tandem re-
 fugiunt, vt dicant in eo positam hy-
 postaticam vnionem, quòd Verbum
 nihil agat, nisi cum humanitate & per
 humanitatem, sicut anima nihil agit,
 nisi cum corpore & per corpus. Hic

relinquo disputandum Peripateticis, sitne verum animam corpori adiunctam nihil per se agere. Non desunt enim, qui fortiter hoc negent. Sed dico, non posse stare illam hypostaticam vnionis definitionem. Concedo igitur ex quo verbum æternum assumpsit carnem, nihil vnquam illud effuisse sine carne: (quia perpetua est hæc vnio:) sed hinc tamen non consequitur, quicquid fecit Verbum, id fecisse per carnem. Etiam si (inquam) nihil egit separatam à carne, quia quam semel assumpsit, nunquam dimisit: non sequitur tamē quicquid egit, egisse per carnem. id quod ostenditur exemplis certissimis & manifestissimis. Christus excitauit sese diuina sui ipsius virtute, vt qui dixerit, Potestatem habeo deponendi animam meam, & eam rursus assumendi. Num id circò Deitas, per ipsam carnem id fecit? Quum Christus cerneret Nathanaëlem absentem, an eum videbat corporis oculis? & quum absque alterius patefactione cogitationes aduersariorum perspiciebat,

ciebat, nū hoc faciebat vlla humanæ
 mentis acie? vidit hæc igitur vt Deus,
 neque mente vel corpore, & non ta-
 men sine homine, quia ille Deus est
 homo. Cū sanaret puerum centu-
 rionis absentem, an id fecit, vt quum
 sanauit præsentem cœcum illum ad-
 mota manu & facto luto? nequaquã.
 hoc enim admota manu per carnem,
 id est, adhibito carnis assumptę instru-
 mento effecit, quia sic voluit. hunc au-
 tē sanauit vnica sua Deitatis virtute.
 Non tamen exutus erat carne, fateor.
 Sanauit igitur eū carne, non p carnē.
 Non est igitur in ista *συνεργεία* Deitatis
 & assumptæ naturæ posita hypostati-
 ca vnio. Præterea etiã si cōcederem
 Antecedens, nihilominus illud non
 consequeretur. quoniam vt nihil nisi
 per instrumentum agat artifex, tamē
 propterea non vniuntur in vnum
ἡ ἰσχυρὸν artifex & instrumentum:
 nō est, inquam, ideō vnitum id, quod
 agit cum eo per quod agit. Sunt enim
 duo separata agens & instrumētum.
 Sic faber non est vnitus cum malleo.

Pater

Pater creauit omnia per Filium, sicut testatur Scriptura. Num verò quia creauit Pater omnia per Filium, consequitur Patrem & Filium vnitos hypostaticè? Minimè. sunt enim distinctæ hypostases. & quidem re ipsa. Ergo neque in ἐνεργασίῳ effusione, neque ex σωματικῶν communicatione rectè describitur vnio hypostatica. Maneat autem illud potius quod dixi, Vnionē eam esse hypostaticam, qua fit, vt, saluis naturis & proprietatibus, vnica hypostasis ex duabus naturis euadit in vnū ἰφιστάμενον, quarum naturarum vna (assumpta videlicet) in altera assumēte subsistit, quia si vnaquæque per se subsisteret, essent duæ personæ. Præterea verò, antequam rem ipsam agrediamur, dicendum etiam nobis est, quomodo ex ista hypostatica vnione consequatur id, quod veteres vocant κοινωνίαν ἰδιωματικῶν. Nam si saluæ manent tum ipsæ naturæ tum proprietates earum, vnicuique etiam naturæ sua manēt attributa, ac proinde videtur quod vnus naturæ est, non esse

esse attribuendum alteri. Et tamē ita loquitur Scriptura, quū dicitur Deus passus esse: & nos ita loqui docemur in Symbolo, quum dicimus, Credo in Iesum Christum Filium Dei vnicum, cōceptum, natum, passum, crucifixū, sepultum. Vt hoc norimus, oportet nos distinguere attributa. Dicimus propriè & verè loquēdo, vnius cuiusq; naturæ attributa, illi propriè & re ipsa esse attribuēda. Hæc est prima regula. Dicemus ergo Christum secundū deitatem esse æternū filiū Dei, esse infinitū, vbiq; esse, æternū esse, creatorem rerū omnium, expertem mortis, inuisibilem, &c. quæ omnia tribuentur verè & propriè naturæ Filij Dei vnitæ carni. Hæc autem propria sunt humanæ naturæ, quòd initium habuit, quòd cōcepta sit ex Spiritu sancto, & passa, tandem resurrexerit. Vnde verò hoc discrimen? nempe ex eo, quòd saluæ manent naturæ & inconfusæ, ne, si confunderentur in vnione hypostatica, attributum vnius naturæ attribueretur alteri. Secunda autem hæc est

est regula: Quædam tribuuntur Christo secundum personam, non secundum naturas: nempe quæ sunt personalia, id est, personæ ipsius attributa, quæ tamen non tribuuntur sigillatim naturis. ut si dicam, Christus est mediator. Attributum illud mediatoris, nec Deitati, nec humanitati seorsim tribuitur, sed toti illi personæ Christi. Est enim mediator secundum utranque naturam: & συντελέματα ista sunt personalia, quod ni fateamur, incidemus in Nestorianorum hæresim. Interea tamen sic ista sunt opera totius personæ, ut nihilominus suum opus ad hoc commune ἀποτέλεσμα quæque natura distinctè conferat, ut docet Leo Epistola illa celebri, ne in alteram Monothelitarum siue Monophysitarum hæresim incidamus. Nondum tamen expeditus est nōdus. Idcirco notāda est in primis alia quædam ratio enunciationum de Christo, quæ ut vera est respectu totius personæ à concreto utrouis denominatæ, ita sine impietate tribui neutri naturæ potest per se
sive

Que in abstracto considerata: vt quum dicitur, Deus (Verbum videlicet) remisse Ecclesiam sanguine suo. Sic recte credimus & dicimus Deum passum & mortuum, quod impius Nestorius negabat. Nisi enim Deus is est, qui passus est pro nobis, non est nobis saluifica ipsius passio. Dicimus ergo Deum natum, passum, mortuum, resurrexisse. Et contra rursus dicimus, Filium hominis fuisse in coelis, quum loqueretur in terris cum Nicodemo, ex hac regula: Quaecunque attributa propria sunt alterutrius nature, nempe Deitatis vel humanitatis, permixtari possunt in concreto, non in abstracto. Quid igitur vocamus abstractum? Abstractum vocamus formam ipsam cogitatione seiunctam a materia, vt si iustitiam alicuius, non autem iustum quempiam hominem mente complectar, quod in alijs etiam predicatis locum habet. Iustitia igitur fuerit abstracta quedam, id est, per se, & non in subiecto considerata res: Concretum autem fuerit, iustus homo, illa videlicet iustitia

stitia præditus. Ita in Christo confide-
 ramus abstractè naturà duas, humani-
 tatem & Deitatem: cōcretè autem
 Deum hominem complectimur. Sint
 igitur abstracta, Deitas, humanitas:
 concreta verò Deus & Homo: dico
 attributa humanitatis posse tribui
 Deo, at non Deitati: & contrà quæ
 Deitatis propria sunt, tribui homini,
 non humanitati. Ergo verà est hæc
 enūnciatio, Homo iste est Deus, Ver-
 bum æternum Patris est homo. Sed
 istæ impię sunt, Deitas est humanitas,
 vel humanitas est Deitas. Sic dicendū
 & sentiendū est, Deum (Filiū vide
 licet) natum esse ex virgine, passum,
 mortuum, at non Deitatem. Nam is
 quidem, qui Deus est, passus est, at nō
 ipsius Deitas. Ideò quum Petrus di-
 ceret Christum passum esse, addidit in
 carne: sic Paulus I. cap. Roma. Decla-
 claratus est (inquit) Filius Dei poten-
 ter κατὰ πνεῦμα id est, secundum spiri-
 tum. Causa huiusmodi attributionis
 in abstracto, est ipsa hypostatica unio,
 nempe, quia illud ἰψὴ ἀπὸσθ siue illa
 persona

persona Christus denominatur *συνεκ-*
δοχικῶς ab alterutra natura. Siue ergo
 dicatur homo, intelligitur etiā Deus:
 siue Deus, intelligitur etiam homo.
 Sed quum ipsas naturas, humanitatē
 videlicet vel Deitatem nominamus,
 nihil aliud istis abstractis nominibus,
 quā singulæ ipsæ naturæ per se signi-
 ficantur. Et ne cui videri possint ista
 loquēdi formæ obscuræ & peregrinæ,
 quasi Christiana religio quibusdam
 arcanis contineatur à communi vsu
 remotis, quum è contrario Spiritus
 sanctus de rebus istis abstrusissimis Ec-
 clesiam docens crassissimam, & maxi-
 mē vulgarem docēdi rationem sit se-
 quitur; docet nos rectē Theodoretus,
 vix aliter loqui ipsum vulgus consue-
 uisse. Quis enim Petro loquente non
 dicat potius loqui Petrum, quā Pe-
 tri corpus vel linguam? & tamen neq;
 mens, neque ipsius Petri pes aut aliud
 quidpiam quā lingua vel os loqui-
 tur. Sed quoniam ista hypostaticè, id
 est, in vnū *ἰφισάμενον* coalescerunt, toti
 tribuitur verè in concreto, quod de

totius partibus per se consideratis
 falso diceretur. Quid amplius? pro-
 hypostaticam hanc ipsam vnionem,
 quanuis ea morte dissoluta sit, dice-
 tur Petrus Romæ mortuus & situs,
 cuius tamen anima neq; mortua est,
 neque in terris vsquam sita. Sic quum
 dico, Filius æternus Dei mortuus est,
 considero totum Christum, quanuis
 eum denominem ab altera, nempe
 mortali ipsius natura. Sic dico, Hic
 homo remittit peccata, non tamen
 quatenus per se est homo (quia pro-
 prium est solius Dei remittere pecca-
 ta:) sed quoniam est θεάνθρωπος. Hoc
 illud est dicendi genus, quod κοινονία
 ἡ δυνάμειον dixerunt Theologi, quam
 perperam nonnulli à κοινονία non
 distinguunt, alij verò an sit realis di-
 sputate crassissimam infeitiam pro-
 dunt. Id autem ex inamotis superio-
 ribus fundamentis positum, si conten-
 tionis spiritus absit, decidi nullo ne-
 gotio potest, derisuris nos alioquin
 ipsis sophistis si hodie reuiuiscerent.
 Nihil falsum admittit Theologia.


Verus

Verus est igitur tropus κοινωσιαι ιδιω
 μάτωρ in concreto, id est, in Christi
 persona, vt tota quodā simul ac com-
 plexim cōsideratō: nec aliter vsurpari
 vnquam in Ecclesia cōsueuit: in ab-
 stracto verò, id est, de singulis naturis
 appellatiuō nomine, nunquam sine
 impietate vsurpari potest, nedum vt
 verum sit Deitatis proprietates de hu-
 manitate, vel humanitatis de Deitate
 prædicari possit. Hæc necessariò nobis
 de Cœna dicturis præponenda fue-
 runt, vt meliùs reliqua intelligantur,
 de quibus, fauente Deo, proxi-
 ma lectione disce-

remus.

C. 2

HOMI



HOMILIA ALTERA

HABITA VIII. APRILIS,

LIS, 1574.



ORVM, quæ superiore
 cōcione diximus, summa
 hæc est, p̄dere vniuersam
 salutis nostræ cognitionē
 à Christi notitia: in Chri-
 sto duo nobis esse in primis confide-
 randa, nempe quæ tum ad personæ
 ipsius, tum ad ipsius officij cogniti-
 onem referuntur. Personæ nomine in-
 telligi ipsummet Christum: Eam per-
 sonam constitui ex duabus naturis,
 Deitate videlicet & humanitate sic
 vnitis, vt saluis & inconfusis ipsis na-
 turis, & earundē proprietatibus, Chri-
 stus, vnicum *ἑνὸς ἀμείνονος*, sic constitua-
 tur. Deitatem enim sic assumpsisse hu-
 manitatem, vt iam non extent duæ
 personæ, sed nature: quarum vna, as-
 sumpta videlicet, sustentetur, siue, vt
 ita loquar, personetur ab assumente.
 Hinc descendimus ad attributa, quæ
 vel de singulis naturis, vel de tota per-
 sona

sona dicuntur: eâque diximus sic esse
 yfurpanda, vt vnio seruetur personæ,
 naturarum autem confusio vitetur.
 Cùm enim naturæ istæ duæ in hypo-
 statica vnione copulatæ sint, vt loqui-
 tur Chalcedonenſis Synodus, ἀδ' ἰαυξέ-
 τως, ἀχωρίσως, ἢ ἀσυγχύτως, necesse est
 vnamquaque istarum naturarū ha-
 bere sua propria, ac proinde non com-
 municabilia attributa. Quædam ergo
 et tributa diuinitati, quædam hu-
 manitati vsq; adeò propria sunt, vt quæ
 vni tribuuntur, de altera dici sine im-
 pietate non possint. Nihilominus ta-
 men propter illam vnionem hyposta-
 ticam, præterquã quòd tribuitur toti
 personæ, quod est vtriusque personæ,
 vt cùm Christus Mediator dicitur:
 quæ propria sunt Deitati, ac propter-
 ea, sicuti diximus, de humanitate dici
 nunquam possunt, tamen attribuun-
 tur homini: & vicissim quæ propria
 sunt homini, dicuntur de Deo, at de
 Deitate nequaquam. Ratio est, quia
 τὸ ὑψίστου denominatur etiã in cõ-
 creto ab altera duntaxat natura. Sic

per Filium Dei nonnunquam intelli-
 gimus non tantum deitatem Filij per
 se, sed Christum manifestatum in car-
 ne: & per Deum gloriæ significamus
 Deum factum hominem: ac vicissim
 per Filium hominis, declaramus ho-
 minem ab æterno Filio Dei assum-
 ptum: ex quo fit, vt propter illam v-
 nionem in concreto dicantur de per-
 sona tota, quæ alteri tamen naturæ
 duntaxat in abstracto cõueniunt. Sic
 dicit Paulus, Deum gloriæ crucifixum
 fuisse, quæ propositio verissima est de
 toto Christo, id est, si Christum vt to-
 tum quiddam complexum spectes:
 non autẽ de toto Christi, id est, si sin-
 gulas naturas distincte spectes, quum
 Dei gloriæ appellatio vni Deitati in
 abstracto cõueniat. Hęc igitur propo-
 sitio vera est, sed impiũ fuerit dicere,
 deitatem esse crucifixam. Sic dicimus
 in Symbolo Apostolico, Credimus in
 Iesum Christum vnicum Dei Filium,
 conceptum; natum, passum, quæ verè
 & Christianè dicuntur. Quamobrem?
 quoniã nomine Filij Dei in concreto
 non

non intelligimus Deum Verbum per se, sed Deum manifestatum in carne. Sic Filius hominis loquens cum Nicodemo in terris, erat in cælis, nempe quia idem qui homo est, etiam Deus est: non erat tamen humanitas illo tempore alibi quàm in terris. quomodo nunc etiam recepta in cælum carne Christi, ac proinde à nobis absente, præsens tamē est nobiscum Filius ille hominis, quia idem est verus Deus, quem neque cæli neque terra capiunt. Sicūt igitur falsæ sunt istæ propositiones, deitas est humanitas, vel humanitas est deitas: ita istæ veræ sunt, homo iste est Deus, & De⁹ Verbū est homo. quod si homo verè dicitur Deus propter vnionem hypostaticā, efficitur, quæ tribuuntur humanitati, meritò tribui Deo: & contra, quæ tribuuntur deitati, meritò tribui homini. Nūc veniamus ad alteram notitiæ salutis partem, id est, ad Christi officiū. Hoc officiū declaratur ipsius nomine. Iesus enim est, id est, Seruator, quoniā ideò datus est nobis à Patre,

vt nos seruet. Seruat autem nos iusti-
 ficando, quoniam vita æterna necessa-
 riò coheret cum iustitia. Tribuit ergo
 nobis vitam, tribuendo iustitiã, idq;
 ex mera sua gratia, per vim & efficaciam
 sancti sui Spiritus. Eadẽ enim illa vis
 Dei, quæ sese exeruit in creãdo homi-
 ne, sese exerat necesse est in homine
 restaurando. quemadmodum, inquã,
 Deus Pater gratis per Filium cum sua
 vltute, quæ Spiritus sanctus est, crea-
 uit hominem: ita hominem lapsam
 per Filium in Spiritu sancto refectum
 seruando iustificat, & iustificãdo ser-
 uat. Spiritus enim sanctus efficit in
 nobis illud instrumentum, quod vo-
 camus fidem, quo vnò Christum co-
 gnitum apprehendimus: neque hæc
 fides est simpliciter aliquod accidens,
 sed habitus verè insitus non à natura,
 sed à mera Dei gratia. Memineritis
 autem me per apprehensionem Chri-
 sti, intelligere apprehensionem ipsius-
 met Christi. Oportet enim duo à no-
 bis considerari in Christo, nempe ip-
 summet Deum & hominẽ, & ea, quæ
 ipsi

ipsi insunt. vt exempli gratia (quanuis non respondeat per omnia similitudo) si in theca proponam thesaurum oportet accipi thecam, vt obtineatur thesaurus in theca repositus. Sic in Christo omnes illi thesauri sapientiæ & intelligentiæ insunt, & vt paucis dicam, omnia illa, quæ ad salutem nostram requiruntur. Oportet igitur nihil haberi a nobis, vt ea, quæ ipsi insunt, obtineamus, ac per illa vitam æternam. Cedò verò, quo instrumento illum veluti manu quadam apprehendimus, vt totus noster sit, & nos illi? Fide. Spiritus autem sanctus is est, qui effecturus in nobis istud fidei instrumentum, vtitur externi verbi prædicatione, per quod ipse solus propriè operatur inuisibiliter in nobis. Hoc verò vt melius intelligatur, age naturale instrumentum cum isto ὑπερφυσικῶν comparemus. Doctor loquendo docet suos discipulos id quod loquitur. Sermo enim est organum & instrumentum, quo alij abijs animi sensa patefacimus, ex quorū perceptione ij

quos alloquimur, euadant sciētes eorum quæ loquimur. Sic etiam Deo placet uti uerbo suo scripto & prædicato, ut nos scientiam salutis doceat. ratio tamē in eo plurimum est diuersa, quòd animus noster aptus est naturali quadam & ingenita vi ad intelligendas res humanas: & quamuis alij magis didicerunt sint alij, tamen in genere omnes homines facultate illarū rerum ex libris vel doctoris ore intelligendarum sunt præditi. Sed quum ad ueram Dei & diuini illius nostræ salutis arcani cognitionem uerum est, Deum necess. est longè alia vi formādis & disponendis animis nostris uti, ut & res illas intelligentia complecti, & comprehensas comprobare, iisque assentiri & acquiescere possint auribus purgatis: quæ est inuisibilis illa Spiritus sancti *ἐνεργεια*, cordibus insculpēs quod percipit animus. Alioqui pastores loquerentur surdis, sicut nimirum frequentibus exemplis apparet. Idcirco ait Apostolus Euangeliū esse scandalo Iudæis, uideri stultitiā Gentibus:

ribus: & alibi, esse alijs odorem vitæ ad vitam, odorẽ mortis alijs ad mortem. Quibus autem est odor vitæ ad vitam? nempe sic percipientibus, vt id admittant. Atqui non potest percipi, nisi gratia Spiritus sancti nos immutante. Ijs est igitur odor mortis in mortẽ, à quib⁹ repudiatur. Neq; istius neglectus causa est vel Deus, vel Euangelium, sed ipsa natura hominis corrupta. Animalis enim homo non est capax eorũ, quæ sunt Spiritus Dei. Vt ad rem redeamus, Verbũ Dei insonans auribus instrumẽtum est ordinatũ à Spiritu sancto nobis docendis, vt intelligamus quæ ad salutẽ intelligẽda sunt, & quæ intelleximus, & quib⁹ assensimus, vera fide nobis applicemus. Est autẽ iste Dei nobiscum loquentis sermo interdũ nuda & simplex allocutio, interdum quibusdam alijs sic exornatus, vt res ipsa propter adhibitos sermoni ritus non dici, sed geri videatur. Nudi sermonis exempla sunt infinitæ Euangelicæ promissiones, vt quum hoc audimus, Deus sic ama-

uit

uit mūdum, vt dederit Filium suum, vt quisquis crediderit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic legimus & audimus quotidie in Ecclesia Prophetica & Apostolica scripta, adhibitis exhortationibus, reprehensionibus, & consolationibus, prout boni pastores munere suo publicè & privatim funguntur. Interdū autem adhibentur huic verbo signa cum certis ritibus, vt nō tantū sermo feriat aures, sed etiā quæ spectantur, incurrant in oculos, & hæc sunt, quæ Sacramenta Latini vocant: & idcirco Augustinus Verba visibilia vocauit. Illud quidem constat, Græcam vocem *μυστήριον* Latinos Theologos etiam vetustissimos Latina Sacramenti voce fuisse interpretatos, non modò vbi agitur de sacramentorum Ecclesiæ ritibus, veluti de Baptismo & de cœna Domini: sed in genere quoties agitur de re arcana per se, & ab vsu cōmuni prorsus remota. Sic vocatio gētium, quam appellat Paulus *μυστήριον*, veteri Latino interpreti sacramentum est:

& tota

& tota nostra salus est pietatis sacramentum: & Christi & Ecclesiæ (non autem, vt vulgò per imperitiam creditum est, mariti & vxoris cõiunctio) sacramentum est. Imò & illius impuræ meretricis sacramentum in Apocalypsi commemoratur. Deniq; apud veteres Latinos Theologos nihil frequentiùs occurrit hoc nomine. Sed hanc Sacramenti vocem Ecclesia Latina angustiore significatiõe accepit pro ijs signis ac ritibus, quæ Deus adiunxit promissionibus suis, vt pleniùs nobis patefactã salutem obsignaret in cordibus nostris. Nunquam tamen, quod scio, in ipsis scriptis Apostolicis nomen *μυστήριον* hac significatione vsurpatur: & certè nomẽ Sacramenti valdè *πολύσημον* est apud Latinos, cuius ambiguitatis pœnas magnas ac multas nos posteri luimus. Apostolus *σημῆον* & *σφραγίς* vocat Circumcisionem, & vt ingenuè fatear quod res est, etsi ab vsitatis vocabulis nõ libenter recedo, ne malũ malo cumuletur, maluissimam tamen Latinos auctores vocem Pauli
reti-

retinuisse. Sit ergo, vt ad rem tandem accedamus, ritus ille Cœnæ Domini signum à Deo adhibitum, quo nobis testatam vult & obsignatam corporis & sanguinis Christi communicacionem. Sed quoniam non vnus est rationis ac modi quicquid in isto sacro conuiuio vsurpatur, idcirco obseruandum est nomen sacramenti in hac etiam angustiore significacione à veterib⁹ Theologis Latinis triplici modo accipi. Interdum enim per Sacramēta intelligunt totam ipsam actionem, qua ratione tum Baptismus tum Cœna ipsa Domini vocantur Sacramēta, id est, actiones mysticæ, sine ritus externi, qui aliud quiddam intellectui repræsentant. Interdum autem sic vocatur non tota actio, sed id, quod adhibetur in ista actione: vt in Baptismo, aqua, & eiusdem aspersio: in Cœna Domini, panis & vinū, cum ritibus à Christo institutis: idque duplici rursus loquendi formula. Nam interdum hoc nomine significantur tantum externa signa, veluti quum dicit

dicit Augustinus impios manducare
Christum Sacramento tenus. Interdū
verò pro signis cum ipsa re significata
coniunctis, veluti quum Irenæus di-
cit, Sacramentum cōstare ex duabūs
rebus, vna cœlesti, altera terrena. Cœ-
lestem enim vocat corpus & sangui-
nem Christi, terrenam panem & vi-
num: totūmq; illud dicit Sacramen-
tum. Et de voce quidem ipsa hacte-
nus. Nunc tandem ad rem veniamus.
Quum igitur Sacramentum omne sit
signum, necesse est Sacramentum
ponere in relationis predicamento.
Et quum relatio necessariò inter plu-
ra mutuò relata statuatur, in Sacra-
mentis necesse est signum & rem si-
gnificatam fateri. Neque quum has
duas partes pono Sacramenta con-
stituentes, verbum excludo. Accedat
verbum, inquit Augustinus, ad ele-
mentum, & fiet Sacramentum. Non
igitur excludo verbū, quod est velut
vtriusque partis anima, & cui tanquā
sigilla diximus Sacramēta adiungi. Et
hactenus cōsentiūt nobiscū ij quoq;
qui

qui alioqui maximè dissident. Videamus ergo quæ sint illa signa, & quæ res illæ significatæ: hîc enim minimè inter omnes conuenit. Signum in Baptismo uocamus aquam, rem significatam sanguinem Christi, cuius ablutione remissionem peccatorû adepti & carne mortificati seruemur. Sed de Baptismo nunc non agam pluribus. In Coena uerò duplicia sunt signa. quædam enim signa sunt materia, nempe uinum & panis: quædam uerò sunt actiones & ritus sacramentales: qui tamen ritus minimè sunt inanes, sed habent suam quandam rationem sacramentalem, ex Domini institutione, qua de re postea dicemus. Dico ergo in Coena Domini signa externa, materiata, uisibilia & manu palpabilia, quæ Deus adiunxit uerbo suo, esse panem & uinum. Hoc negant Pontificij, ut qui postquam confessi sunt Sacramenta constare signo & re significata, postea accipiunt pro signis nuda accidētia panis & uini. Tuentur enim in Coena Domini substantiam panis
& uini

& vini non superesse, sed euanescere,
 & eius loco succedere substantiam
 corporis & sanguinis Domini. Signa
 igitur secundum illos erunt acciden-
 tia. & quamnam, obsecro? Albedo, ro-
 tunditas & rubedo, si vinum rubrum
 consecrarint; quæ accidentia nouo
 quodam nomine appellant Species.
 Atqui, ut docet Augustinus, nisi qua-
 dam esset analogia & convenientia
 rerum significatarum & signorū, non
 haberentur Sacramenta. Inter acci-
 dentia verò & substantias non est con-
 uenientia. ergo Sacramenta quæ vo-
 cant, non erunt Sacramenta. oportet
 enim signa ita conuenire rei signifi-
 cata, ut representent animo id, quod
 significant. Dicam apertius. Si velim
 te oculis admonitum animo conci-
 pere hominem, non proponam tibi
 imaginem equi aut bouis spectandā,
 quoniam species illa externa equi vel
 bouis, non potest gignere in animo
 tuo conceptionem siue imaginem
 hominis: quamuis hæc omnia ad vnū
 animalis genus referantur. Multò
 D minus

minus ergo herbæ vel domus species
 formam hominis menti meæ sugges-
 serit. minimè autem omnium acci-
 dentia illa, omnis substantiæ expertia,
 veluti albedo seu rubedo & rotundi-
 tas, res subsistentes, puta corpus &
 sanguinem Christi, mihi in mentem
 reuocarint. Atqui Domini propositū
 est in Cœna cogitationi nostræ præ-
 bere pabulum animarum nostrarum,
 nempe Christi corpus traditum pro
 nobis, & effusum sanguinem pro no-
 bis, quibus nulla est cum illis acciden-
 tibus analogia: sed panis & vinum,
 esca videlicet corporis, commodissi-
 mè spirituales alimoniam, oculis
 penè ipsis subijcit. Et quomodo acciden-
 tibus nemo pascatur, quoniam acci-
 dentia æternum illud pabulū repræ-
 sentant? Præterea quamuis acciden-
 tibus interuenientibus res materiata
 oculis signentur, non omnia tamen
 accidentia cuius materiei conueni-
 unt. Possunt enim multa alba cerni
 & rotunda, quæ tamen non repræsen-
 tarint corpus. & quis istos docuit pa-
 nem,

nem, quem fractum Christus præbuit
 discipulis, fuisse album vel rotundum,
 quomodo illū ipsi pinfunt? Vera ergo
 signa sunt verus panis & verum vinū.
 quod declarat Apostolus, quum di-
 cit, Panis, quem frangimus, est com-
 municatio corporis Christi: & pocu-
 lum, cui benedicimus, est communi-
 catio sanguinis Christi: & illa *metemoria*
 seu transubstantiatio putidum est
 Satanae commentum. Iam veniamus
 ad rem significatam, & primū dica-
 mus, quod sit istud significationis ge-
 nus. nam hoc nobis obijcitur partim
 ab ijs, qui ignorant, quid doceatur in
 nostris Ecclesijs, partim à quibusdam
 malitiosè nos calumniantibus, quasi
 inanem picturā siue mortuam quan-
 dam imaginem nobis in Sacramentis
 dicamus spectandam proponi, quæ
 Christi memoriam in nobis excitet:
 quum tamen hoc ubiq; inculcare cō-
 sueuerimus, Sacramentis nobis Chri-
 stum non significari, sicuti conspecta
 Cæsaris statua, venæ solet in men-
 tem Cæsar, ac prætereā nihil. Proposi-

ris enim & verbo adiunctis symbolis,
 sic nobis & Christum & ipsius benefi-
 cia docem⁹ nostræ mēti repræsentari,
 vt etiam fruendus & re ipsa (spirituali
 tamē modo & per fidem) participan-
 dus cum omnibus ipsius donis præ-
 beatur. Non est ergo hæc actio inanis,
 neque signa ipsa & ritus ipsi sunt res
 nudæ & vacuæ, quum id quod signi-
 ficatur, tum à Deo nobis verissimè
 præbeatur, tum à credentibus effica-
 cissimè percipiatur. Hoc significatio-
 nis genus Bernardus explicat simili-
 tudine annuli, quem sponsus pactæ
 sponsæ tradit, non tantum vt traden-
 tis sponsi meminerit, sed vt seipsum
 hac promissionis arra quodammodo
 tradat. Ideo non tantum dixit Chri-
 stus, Hoc est corpus meum, sed etiam
 addidit, Accipite, Comedite. Videtis
 fratres, quid de istis mysterijs sentia-
 mus, & quæ fiat nobis iniuriâ, quum
 dicimur euacuare Sacramenta, & in
 vana quædam absentis Christi spe-
 ctacula transformare. Dicamus tamē
 quàm apertissimè, quidnam illud sit,
 quod

quod sic externis symbolis menti cō-
templandum sistatur, vt etiam fide
participandum verè menti fideli præ-
beat. Quidnam ergo illud est? Cor-
pus & sanguis Domini. Quis hoc nos
docet? Ipse Dei filius. Dicit enim, Hoc
(id est, hic panis) est corpus meum: &
Hoc (id est, hoc vinū, isto poculo con-
tentum) est sanguis meus. Obiter au-
tem monebo, ne q̄s offendatur, quòd
non dicam, Hic est sanguis meus, sed,
Hoc est sanguis meus. Etsi enim de
verbis non contendo, tamen hoc di-
gnum est obseruatione. Certè qui di-
cit, Hic est sanguis meus, nihil aliud
demonstrat, quàm suum sanguinem.
Atqui certum est Christum, cùm hoc
diceret, sicut prius non absque pane
corpus suum, sic etiam in hac altera
parte non absq; vino voluisse sangui-
nem suum discipulis propinare. Itaq;
τὸ ἄριστον necesse est ad symbolum referri,
τοῦ ἁγίου videlicet, quod apud Paulum
idcirco exprimitur, de quo sanguis
ipse prædicetur: ex quo illud effici-
tur, τὸ ἄριστον non aliter declarare quàm

Hoc, id est, ista res, quam manibus teneo, vinum videlicet hoc poculo contentum, quod sanè non exprimitur masculino pronomine Hic. Cæterum, ut ad rem redeam, ex his apparet quid rei ipsius siue veritatis Sacramentaliter significatè nomine intelligam⁹, nempe corpus & sanguinem Domini. Dissentimus ergo primùm ab Anabaptistis, qui pro re significata Sacramenti ponunt duntaxat, nescio quid umbratile, quasi sit militaris quædam tessera, qua Christiani à non Christianis discernantur. Item ab ijs dissentimus, qui pro re Sacramenti constituunt Christi ~~meritum~~ & meritum ab ipsomet Christo seiuncta. Non enim dixit Christus, Hoc est meritum corporis mei traditi pro vobis: sed, Hoc est corpus meum, &, Hoc est sanguis meus. nec temerè additur $\pi\sigma\delta\iota\sigma\tau\iota\sigma\mu\delta\epsilon$. Quod traditur pro vobis, &, Qui funditur pro vobis. Ita ut apertius dici non potuerit ipsummet Christum, cuius & corpus pro nobis traditum est, & sanguis pro nobis fusus, verè

verè nobis in Coena tradi ad aeternae
vitae alimentum : ac proinde rem il-
lius Sacramenti esse illud ipsum cor-
pus, quod pro nobis obtulit in cru-
ce, & illum ipsum sanguinem, quem
effudit pro peccatis nostris. tantum
abest, vt symbolicum aliquod seu
typicum corpus vel allegoricum san-
guinem somnietur, vt ineptissimos
homines ne suam quidem senten-
tiam satis intelligentes de nobis lo-
qui & scribere non pudet. Iam acce-
do ad tertium huius tractationis ca-
put. Primum enim de signis, deinde
de re significata dixi. Nunc tertio lo-
co queremus, quae sit signorum & rei
significatae coniunctio, qua in referè
posita est omnis istius controuersiae
de Sacramentis decisio. Pontificij
cuius iunctionem in transmutationem
commutarunt. Nam certè si panis &
vinum in corpus & sanguinem re ipsa
transmutantur, hoc non est signa
cum rebus, sed signa in res ipsas com-
mutare, siue de perditis signis res ipsas
eorum loco statuere. • Illos igitur,

vt qui ne refutationem quidem mereantur, missos faciamus. Sunt alij nõ minùs hodie iniqui & acres in nos, quàm ipsi Pontificij, qui sic volunt coniungi rem significatam, ipsum Christi corpus videlicet, cum vel sub vel in pane, vt eo ipso loco, vbi panis ille est, sit etiam corpus. quod itidem de vino & sanguine Christi intelligendum est. Itaque si roges, vbi sit ipsum corpus, & sanguis Domini in actione Cœnæ, responderimus ex eorum sententia, esse verè ac re ipsa in manibus nostris, & ore, ac proinde etiam sanè, nisi mox euauerit, intra hoc ipsum nostrum corpus, cum, in vel sub ipsis panis & vini signis maducatis & haustis. Hanc verò consubstantiationem nõ minans quàm Transsubstantiationem rationibus, non ex humana philosophia, sicuti nos facere calumniatur, sed ex Dei verbo petitis, adeoque illam *κοινωνίαν*, quam ex Dei verbo docemus, maximè esse arcanam & diuinam ostendemus. Nostra igitur hæc sententia est trique illi superiori opposita.

posita. Quæ de Sacramētis dicuntur, Sacramentaliter intelligenda sunt. Quid enim æquius est, quàm vt quæcunque dicuntur, intelligantur prout fert eius subiecti natura, de quo agitur? Certè quæ à Jurisperitis de iure dicuntur, intelligenda sunt, prout in ipsa iuris scientia vsurpantur: idémq; de rebus disciplinísque omnibus statuendum est. Sic ergo quæ de Sacramentis docentur, sacramentaliter intelligenda sunt. Quænam est igitur signi & rei sacramentaliter significatæ coniunctio? Sacramentalis. Per relationem ergo, quæ est inter signa & res significatas coniunguntur signum & res. quod sic rursus planissimè explico. Vbi audimus quempiam noto nobis idiomate loquētem, vocabula in aures nostras incidentia repræsentant animis id, cui significando adhibetur. Audito Romæ nomine statim de vrbe illa cogitamus. Cæsarem si nominarit quispiam, Cæsar statim in mentem venit, quoniam videlicet, vt rectè in scholis docetur, τὰ ἐν τῆ φωνῆ

sunt σημεῖα τοῦ ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων.
 Eadem est prorsus ratio Sacramento-
 rum. Nihil enim aliud sunt Sacramē-
 ta, quàm visibilia verba, id est, res si-
 gnificatas representantia nostris ani-
 mis per oculos, quemadmodum au-
 dita verba per aures. Faciunt ergo vi-
 sibilia hæc panis & vini Sacramenta,
 ut cum illum panem & vinum illud
 verbo Dei adiuncta video & accipio,
 simul corpus pro me traditum, & san-
 guinem pro me effusum animo con-
 cipiam, quasi in rē ipsam præsentem
 adductus. Et quoniam signa illa non
 tantùm oculis spectare iubeor, sed
 etiam accipere, manducare, bibere,
 idcirco animus fidelis res illas sic si-
 gnificatas, ut etiam tradantur, etiam
 apprehendit, sibi que applicat. qua de
 re quarto loco pluribus differemus:
 quâdo videlicet quæretur quomodo
 tum signa tum res significatæ à nobis
 percipiantur. Nunc autem disputa-
 turus duntaxat de ipsorum signorum
 cum re significata coniunctione sa-
 cramentali. • Istis non contenti qui
 pro

pro sacramentali coniunctione realem vnionem, magno certè & crasso errore, statuunt: hoc præterea requirunt, vt eo ipso loco, vbi tum symbola accedentibus præbentur, præsentem adesse carnem & sanguinè Christi, id est, ipsius quoq; humanitatem re ipsa ibi esse & corporeis instrumentis accipi fateamur. Nos verò Christum quod ad humanitatem attinet, sicut quum in terris erat, non erat alibi, quàm eo ipso loco vbi versabatur, ita nunc non alibi esse, quàm supra omnes cœlos, in quos ascendit, affirmamus: ac proinde non corpori cum signis, sed fideli menti, sicut verbo audimus & signo videmus, verè præberi. Superest vt illi, an nos a veritate aberremus, rationibus ex verbo Dei petitis expendatur. Testatur Scriptura, verum corpus fuisse à Filio Dei hypostaticè assumptum. Eadem Scriptura & ante & post glorificationem, assumptæ carni tribuit, quæ veritatem corporis naturali demonstrant, nempe, quòd venerit, abierit, modò præsens

præsens modò absens fuerit. Ergo ista
 necessariò corporis Christi veritatem
 consequuntur, quæ si illi adimas, ve-
 ritatem quoque humanitatis Christi
 tollas oportet; vt ad Marcionitarum
 siue *δοκίμων* hæresin transeas. Tollun-
 tur autè manifestè eorum dogmate,
 qui Christi carnem nūc quoq; reipsa
 simul & in cœlis, in quos ascendit, &
 in terris adesse dicunt, & quidem qui-
 buscunq; locis panis ille & vinum
 illud præbētur. vt eos omittam, quos
 non pudet dicere Christi carnem ab
 ipso vnionis hypostaticæ momento,
 simul & in præsepī & in cœlo, vbiq;
 denique reipsa præsentem adfuisse.
 Ad hoc primū respondēt, nō sine
 magno scelere subijci corpus Christi
 naturæ legibus. corpus enim hoc,
 quod in vnitatem personæ assumptū
 est, longè alia dona immēsa accepisse.
 Hic, obsecro, attendatis quid respon-
 deamus. Dicimus habendam esse ra-
 tionem gratiæ vnionis, qua fateamur
 necesse est humanitatem Christi eò
 vsq; euectam, vt sola Deitate excepta
 (secun-

(secundum quam seipso etiam maior est) adepta sit nomen, quod est supra omne nomē, id est, omnia creata ipsi subijciantur. Sed ex eo minimè tamē efficitur quod isti putāt. Quum enim queritur, An humanitas Christi ubiq; vel pluribus simul locis eodem tempore reipsa se sistat manibus & ore sumendam: non autem illud queritur, quid sit adepta κατ' ἄλλο siue ratione alterius naturæ, cui hypostaticè vnita est, sed an hæc proprietas ipsimet insit, vt (quod vnus Deitatis proprium est) sit ubiq; vel pluribus eodem momento locis. Et hoc est, quod scholastici barbaro quidem, sed si rem non verba spectes, non incōmodo vocabulo Gratiam habitualement vocarunt. Hoc discrimine posito, quod vix vlli nisi planè φιλονεικῶτατοι negarint, dicimus eos verè Christum euacuare, qui carnem Christi negent κατ' ἄλλο, id est, non in sese, sed secundū aliud, nempe quatenus cum Verbi hypostasi hypostaticè vnita est, verè ac reipsa vbiq; esse, nedū vt inficiemur eo ipso loco adesse

adesse ubicunque Cœna ipsius in ter-
 ris celebratur. Cur enim id de Christi
 carne inficiemur, quod pro suo mo-
 dulo in quibusuis corporibus locum
 habet, etiam vbi totū quippiam alio
 quàm hypostaticæ vnionis genere v-
 num est? vt exempli gratia: Dicitur
 arbor aut domus esse in fluuio, cuius
 tamen pars superior supra fluuium
 eminens in sese considerata sit in aë-
 re, non in aquis. Sic nunc ego dicor
 loqui in hac sede, quum tamen vnica
 tantum corporis parte sedeam: dicor
 etiam loqui, quum tamē sola lingua
 in sese considerata loquatur. Ratio &
 veritas harum locutionum ex eo pen-
 det, quòd arbor, domus, homo, sit to-
 tum & vnū quiddam ex suis parti-
 bus compactum. Nam alioqui verè id
 dici de duobus re ipsa separatis non
 posset. Sic totum Christum vbi que,
 nedum in Cœna cū pane, verè adesse
 dixeris, nempe quatenus Christus vt
 totum & vnū quiddam consideratur:
 neque naturarū proprietates sic con-
 funduntur. At totum Christi, id est,
 quicquid

quicquid Christi est, non idcirco dici
 potest alibi, quàm vno loco versari
 eodem tempore. Hoc enim de huma-
 nitate in sese citra Eutylianam siue
 Brentianam proprietatum confusio-
 nem dici nõ magis potest, quàm ma-
 nus hæc mea, aut isti mei pedes sedere
 aut loqui. Hæc si qui non intelligunt,
 obsecro vt discant, & maiorem sum
 sui ipsius tum eorum habeant ratio-
 nem, per quorum latus veritatem
 confodiunt. Vt ad rem redeam, hu-
 manitatem Christi neque sua illa in-
 finita maiestate spoliant, qui hanc
 carnem docent esse Filij Dei carnem,
 sed ij potius, qui *θεόν θεωποι* in *θεόφρονον*
 transformant: neque ad cæterorum
 hominum conditionem redigunt,
 qui secundum gratiam quam habi-
 tualem, id est, carni ipsi tanquam sub-
 iecto inhærentem, vocant, agnoscunt
 eam cunctis sine exceptione rebus
 (sola excepta Deitate Verbi, secundum
 quam ipse seipso maior est) inenarra-
 biliter sublimiorem sed ij demum
 in nihilum siue in spectrum eam
 redigunt,

redigunt, qui dum ei non ὑπερφυσικά,
 sed prorsus ἀντιφυσικά tribuunt, natu-
 ram ipsam humanam necessario peri-
 munt, si quidem humana esse desinit,
 quæ essentialibus suis proprietatibus
 amissis, id esse desinit, oportet quod
 fuerat. Sed & alia ratione ipsis occur-
 remus. Etenim si pluribus locis vno
 tempore adesse reipsa non posse, est
 Christi gloriae detrahere: quanto ma-
 gis mortalem esse, imò etiam reipsa
 mortuum esse? Atqui hoc ipsum est,
 quod summam Filij Dei charitatem
 teste Apostolo commendat, tanto vi-
 delicet maiorem, quanto magis sese
 exinaniuit. Quòd si infirmitatum
 omniū, excepto peccato, in sese realis
 receptio, nihil prorsus eius gloriae de-
 traxit, quanto minùs quòd proprie-
 tates ipsas carnis ἀδιατέπλωσ, & ἀσω-
 χύπωσ, cum ipsa carne in æternum re-
 cepit? Excipiunt eas quoque à se non
 aboleri. Ergo necesse est repugnantia
 vni eidemq; subiecto, eodem prorsus
 respectu tribuant, nempe circunscri-
 ptum esse vno loco, quæ est naturalis

pro-

proprietas organici corporis, & tamē
 vno eodēmq; tempore tum in cœlis
 esse, tum innumerabilibus locis, vel
 etiam vbiq; in terris. Itaque vna ea-
 dēmq; caro simul fuerit quantitate
 sic definita, & quantitatis expers, id
 est, simul corpus & non corpus. Et qd
 hoc aliud est, quàm quiduis ex quo-
 uis facere? Audiamus tandem rursum
 quid excipiant. Volunt tempus quod
 glorificationē carnis Christi præce-
 dit, ab eo distingui, quo in gloriā suam
 est recepta. Esto. Ergo si à glorifica-
 tione pendet ista realis coniunctio
 carnis cum pane, in prima illa Cœnæ
 institutione locum non habuerit, quā
 tunc glorificatā non erat hæc caro,
 imò suæ exinanitioni proxima, neq;
 sanè etiamnum hodie nobis vt glo-
 riosa, sed quasi, vt ita loquar, adhuc in
 cruce pendens nobis offertur parti-
 cipanda. Huic exceptioni opponunt
 transfigurationis miraculum. Sed qd
 habent ista duo inter se simile? Nihil
 enim certè in illa transfiguratione e-
 uenit *ἁρτισφυσικόν*, siue quod carnis il-

lius proprietates essentielles perimeret, sicuti idcirco veri homines esse iusti non desinent, quum instar solis fulgebunt: at ubiq; vel pluribus simul locis esse, est proprietas usque adeo rebus omnibus creatis utpote finitis repugnans, ut soli Deitati, quia sola infinita est, conueniat. Denique vno verbo sic respondemus, Glorificatio non ademit corpori Christi naturam corpoream (id est, quantitatem & circumscriptionem) sed infirmitatem eius aboleuit, quam ad tempus susceperat. Infirmitatis autem nomine, in carne Christi nulla essentialis proprietas intelligitur, sed id duntaxat, quod, excepta ipsius peccati labe, peccatum in naturam hominis inuexit. Quòd, inquam, Christi caro ante glorificationem dicitur fuisse infirma, neque Deitatis respectu dicitur, quae semper fuit, est & erit inferior, sed habita eius gloriae, in quam postea euecta est, ratione, saluis tamen manentibus, ut dixi, ijs proprietatibus, quibus ipsa corporis veritas constituitur,

thitur, inter quas quantitas, ac proinde
de circumscriptio vsque adeo præci-
puum locum obtinet, vt dicat Cyril-
lus, ne ipsum quidem Deum vbique
futurum, si quãtitatis esset particeps.
Aut igitur isti tum Vbiquitarij, tum
Antiphysitæ apertè carnis Christi
quantitatè negata in Eutychetis ca-
stra concedant, aut si quantitas
non exuisse contendunt ex ipsius
Christi verbis, qui se videri & palpari
post resurrectionem iubet, ostendant
posse carnem Christi simul & quan-
tam & vbique siue pluribus locis esse,
quod tamen ne Deitatem quidem
posse apertè & verè scribit Cyrillus,
cuius alioqui auctoritate vel præci-
puè pro ista reali præsentia abutun-
tur. Probennt denique mentitos An-
gelos, quum dicerent, Christus sur-
rexit, non est hîc. Etenim, quacunque
tandem distinctione vrantur, si dari
potest locus, vbi non sit Christi ca-
ro, vbique esse non potest. quod
si non vbique, ergo ne pluribus qui-
dem simul locis tota. Hinc etiam

liquet quàm absurda sit Brentij & ipsius sectatorum sententia, qui formam Dei & formam serui vni in sese humanitati Christi tribuunt. Intelligunt enim per formam Dei, illud suū omnimāiestatis & omnipræsentiæ figmentum, quibus re ipsa in sese caro Christi fuerit ab ipso hypostaticæ unionis momēto prædita, quam tamē exerere ad tempus noluerit, quod ex inationis nomine intelligunt: formā autē serui appellant eam conditionē, in qua subsistere voluit, quoties illa Dei forma vti noluit. Enim uerò, si vni subiecto duas formas essentielles tribuas, quid aliud quàm Vnum & Duo confuderis? Id autem est planè insanire. Superest ergo, vt formæ appellatione neque Deitatem ipsam neque humanitatem isti intelligant, sed diuersam istius humanitatis conditionem, vt quæ intrinsecus & in sese fuerit omnibus in eam effusis Deitatis & ueritatis ornata, neq; tamen eas semper exeruerit. Sed hoc certè si verum esset, definienda nō erit hypostatica

vno effusione $\alpha\omega\ \epsilon\upsilon\epsilon\rho\gamma\epsilon\omega\upsilon$, sed potius
 $\delta\upsilon\upsilon\alpha\ \mu\epsilon\nu\omega\mu$. Deinde quantamcunque
 tandem effusionem donorum in car-
 nem intelligas, quomodo aperta
 blasphemia non fuerit, dicere huma-
 nitatē Deitati vllō modo sine rapina
 exæquatā? Vbi igitur illa toties apud
 Patres repetita sententia, Filium se-
 cūdum carnem esse Patre, ac proinde
 etiam seipso, vt qui sit Patri Deitate
 cœqualis, minorem? Illa igitur inter-
 pretatio vt falsa, imò etiam vt planè
 Eutychniana repudianda est. Afferunt
 autem istud quoq; , Locum non esse
 ex corporis substantia: ac proinde nō
 aboleri corporis substantiam, etiamsi
 locus ei adimat̄ur. Mini verò multò
 vehementius doleret eò redactos esse
 Consubstantiatores, vt tam absurda
 proferendo sese papisticissimis ipsis
 Transsubstantiatoribus deridendos
 propinarent, quorum alioqui funda-
 mēto sua superstruunt, nisi ipsos illos
 Transsubstantiatores in Sorbonæ il-
 lius porcæ turpissimæ mammis edu-
 catos viderem eò fuisse redactos, vt

isto etiam cœno putarent oblini sic
posse veritatem, ut oculis cuiusuis
non pateret. Enimuerò quæ hæc im-
pudentia est (ignoscite, auditores, iu-
stissimo dolori meo) tam sophisticè
agere in Ecclesia Dei, quæ schola est
veritatis? Corporis vocem vix igno-
rare quispiam potest qui ratione uti-
tur, interdum ad substantiam, inter-
dum ad Quantitatem referri. Itaque
Corpus interdum vocatur corporea
substantia ex materia & forma sub-
stantiæque constans, interdum verò
quod tribus dimensionibus constat,
putà longitudine, latitudine & pro-
funditate. Si in hoc argumento in-
terdum corpus Christi consideramus
ut rem illam materiata, substantialē,
visibilem & palpabilem, quā nostri cau-
sa assumpsit. & hoc modo sanè quan-
titas quum sit accidens, non est pars
illius substantiæ. Interdum verò ista
eadē Corporis voce utimur, ut quod
quantitate illa triplici definitur, ab
eo distinguatur, quod est quantitatis
expers, & hoc modo sanè vel isti pro-
bent,

bent, oportet definitionem non declarare earum rerum substantiam, quæ definiuntur: vel nobiscum fateantur, nihil aliud esse corpus quàm illam ipsam triplicem continuam quantitatem. Haec autem sublata, necesse fore verum corpus Christi perimi, siue glorificatum, siue adhuc in infirmitate positum, negari non potest, quin Christo ipsi mendacium impingatur, vt qui carnis suæ veritatem etiam post resurrectionem probet ex accidentibus illis $\alpha \chi \omega \rho \iota \sigma \iota \sigma \iota \varsigma$, quãtitate videlicet corporea. Iam de loco videamus. Quid si ex Augustini perspicuis & sonoris verbis respondeamus? Tolle, inquit, spatia locorum corporibus, nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt. Corporibus, inquit, cæteris, at Christi corpori non item. Imò Christi corpori, de cuius à terris, absentia propriè Augustinus in ea Epistola differit. Et certè si verum esset Christi corpus alia diuersa ratione quàm nostra, iam non esset nobis $\delta \mu \omega \delta \sigma \iota \sigma \iota \varsigma$

per omnia similis, excepto peccato. Addam tamen aliquid perspicuitatis gratia. Quum Locum à corpore, id est, ab eo, quod tribus dimensionibus constat, tolli non posse, affirmamus, ut isti consubstantiatores faciunt in fictas omnipotentiae latebras refugi- entes, quas postea illustrabimus, hoc nomine Loci non peculiare spatium aliquod intelligimus, quod subinde mutari potest, veluti quum Christus ex vno loco discedens in alium abiit, (hoc enim modo locus hic vel ille sic accidit corpori, ut leuissimo motu sublato vno alter succedat:) sed locum vocamus eam veri organici corporis conditionem, qua fit, ut necessario ubicunq; sit, eo loco circumscribatur, nec dum ibi est, alibi esse possit. Hoc accidens ut non sit ipsa corporis substantia, quatenus corpus substantia est: at certe corpus quatenus quantitas est informat, estque corporis ut substantiae accidens penitus ἀχώρισον. Itaque neminem esse arbitror, qui non intelligat quam vana & sophistica sit
 illa

illa exceptio. Sed, inquit, ambulavit corpus Christi super aquas: ergo veritatem corporis Christi non statim tollunt, qui extraordinariam & inexplicabilem quandam conditionem ei tribuunt. Quis verò hoc negarit? Non in eo igitur quaestio vertitur, an Christus secundum carnem etiam infirmitatis tempore praeter ordinatas naturae humanae leges plurima potuerit. Sed hoc quaeritur, an, siue post, siue ante glorificationem cum veritate carnis Christi stare possit istud dogma de reali ipsius carnis pluribus vel omnibus locis presentia, quod fortiter negamus, neque ex ista super aquas ambulatione, vel ex eo quod ianuis clausis sit ingressus, & non reuoluto lapide sepulchri resurrexerit, colligi vlla idonea consecutione dicimus. Primum enim haec miracula in aquis ipsis non modò sub Christi, sed etiam sub Petri pedibus solidatis, & in parietis & sepulchri mole repente opificis sui corpori cedente, potiùs quàm in ipso Christi corpore edita
E 5 videntur.

videntur. Deinde vt in ipso Christi corpore spectanda concedamus, ponderis corporei suspensio vel etiam ablatio, itémque ista corporeæ molis subtiliatio, quum corporis quantitatem minimè tollat, corpus non abolet, neque, vt in scholis loquuntur, contradictionem implicat. Sed neq; quantitate siue circumscriptione carere verum corpus potest, quin corpus esse desinat: neque simul alicubi vt circumscriptum, alicubi vt non circumscriptum esse potest, quin simul corpus esse & nō esse statuatur. Summa autem horum omnium hæc est, falsissimum esse istud realis cum pane & vino consubstantiationis dogma, vtpote quæ carnis Christi veritas aboleatur. Iam verò hoc etiam argumento longè grauissimo idem commentum refutatur, quòd analogiæ fidei planè repugnet, nedum vt illius defensores meritò nos ad fidei vim reuocent. Ascendisse supra cœlos carnem Christi, ibi; nunc residere Scriptura testatur. Ergo quæri in terris
non

non potest. Alioqui non ascensio, sed disparitio fuerit. Venire profectò siue ascendere quispiam eò dici non potest, vbi iam erat, aut inde abire, descendere, abesse, vbi permaneat. Quot igitur locis ista de Christo secundum carnem nulla figurata locutione dicuntur, tot irrefragabilibus testimonijs vera corporis ipsius Christi à nobis ablatio cõfirmatur, & reale præsentia illius in terris delirium; id est, τῶν δοκτωρ siue Marcionitarum dogma refutatur. Illud autem quod in nos regerunt, quum Christi carnem nunc in cœlis esse nec vsquam alibi, cum Petro, imò cum ipsis Angelis dicimus, quàm absurdum est? Christum, inquit, carcere sic concluditis, quum tamen dextera Patris ad quam sedet, id est, diuina potestas & imperium sit vbique. Quid ergo? quum in terris existens, cœtis abesset, (nec enim eò ascendisset vbi iam erat) imò quum in vtero virginis, in præsepi fascijs inuolutus esset, & alibi nusquam, an erat carcere inclusus? Imò
 quum

quum omne corpus suo loco, ipsa q̄;
 etiam res incorporea proprietate na-
 turæ suæ cōcludantur (sola enim Dei-
 tas infinita est) quid aliud ex istorum
 absurdissimo argumento conseque-
 retur, quàm carcerum & captiuorum
 plena esse omnia? Etiam si verò sessio-
 nis ad dexteram appellatione illud
 ipsam significari dicamus, quod sim-
 pliciter & absq; tropo dicit Apostol⁹,
 Christum accepisse (nempe quatenus
 homo est) nomen supra omne nomē,
 tamen non minùs ineptum fuerit o-
 mnipraesentiā carnis ex eo colligere,
 quàm si tam latè patere corpus alicu-
 ius Regis dicamus, quàm latè patent
 ipsius imperij fines. Sed praesens, in-
 quiunt, Christus omnia gubernat.
 nempe quatenus Deus est: nec pro-
 pterea discernitur Christi persona.
 Nam etiam homo Christus vbique
 Dominus praesens est, nedum in Cœ-
 na, quanuis non in sese, sed κατ' ἄλλο,
 nempe quatenus vna est persona, siue
 non in sese, sed in ea natura, Deitatis
 videlicet, à qua sic assumpta est, vt sit
 vnum

vnum cum ea ἑνὸς ἰσῶς μὲν, sicut paulò
 antè diximus. Ergo præsens quidem
 est homo Christus, quum idem ipse
 sit Deus Christus, nec tamen alibi nūc
 est humanitas Christi quàm in cœlis.
 Dicitur Christus ascendisse in cœlos,
 vt impleret omnia. Concedo, & hinc
 colligo non impleuisse omnia prius-
 quàm ascenderet, ac proinde falsam
 esse definitionem illam vnionis hy-
 postaticæ à gratia habituali desum-
 ptam. Colligo & illud, si verè ascēdit,
 nec prius illam carnem fuisse in cœlis
 quàm eò ascenderet, & in terris esse de-
 sisse, ex quo inde in cœlos ascendit.
 Sed inquit, ascendit vt impleret o-
 mnia. Ergo implet omnia. Imò p̄fecit
 illud, cuius causā ascendit, id est, im-
 pleuit vniuersum salutis nostræ my-
 sterium, quod prædixerant Prophete,
 & cuius periodus, quod ad id attinet,
 cuius exequēdi causā Christus venit,
 ascēsiōne terminatur, sicut ab aduētū
 in terras incipit. Sin verò malumus
 hoc referre ad fructum, qui ascensio-
 nem ipsius consequutus est, ex quo
 videlicet

videlicet non ut seruus, sed ut Filius regnum inijt, ideò ascendit ut Spiritum sanctum mittens, omnia Ecclesiæ suæ necessaria dona suggereret. Ascendit enim ut donis homines cumularet. Quod quum totidem verbis dicat Apostolus, quis sanæ mentis homo ijs credat, qui quod de officio regni & efficacitate dictum est, ad ipsam personam transferunt? ἄφ' αὐτοῦ ἐγένετο ex discipulorum oculis. Fateor. quòd si inde colligitur ista omnipræsentia siue multipræsentia, siue omnimaisetas (Deus bone, quæ portenta tam breui tēpore enata.) quid ni de Philippo idem statuatur? Nam & ille subito ex oculis Eunucli sic euauit, ut etiam Azoti fuerit reperi- tus. Et quid Prophetis euenire interdum conuicisset, ex discipulorum Eliæ exemplo apparet. Vidit Christum Stephanus. Ergo erat in terris. Nego. Vidit enim è terris positum in cœlis, ut narrat historia. Et quorsum in cœlis videret, si ad latus aderat in terris? Itaque non in ipso
Christi

Christi corpore, sed in oculis Stephani spectandum est hoc miraculum. Nec aliò respexit Ecclesiæ ritus ab omni vetustate usurpatus, quo magna voce edicitur vt SVRSVM CORDA attollātur. Quorsum enim istud SVRSVM, si in ore & manibus habemus quod quærimus? Visus est Christus Paulo Damascum eunji. Respondet Augustinus in Psalm. 54. caput quod erat in cœlis clamasse pro corpore, quod erat in terris. Vidit Paulus Dominum quum oraret in Templo. Ergo fuit Dominus in ipso Templo. Vidit, sed ἐν ἐκστάσει. Fuit ergo visio spiritualis, nec ad rem quicquam pertinet, quamvis falsum Paulus non viderit. quò etiam alia eiusdem Apostoli manifestè referuntur. Refugiunt denique ad Omnipotentia latibulum. Et quum opponimus aliquid Deum non posse, statim in nos clamores tanquam in planè blasphemus & impios eiaculantur. Ego verò saltem hoc ab illis poposcerim, vt æquo animo respondentes ferant, neque

neque tam impotenter in eos ferantur, quos vita saltē (Deo sit gloria) ab omni suspitione blasphemiae liberat. Si omnipotentiam Dei negat quisq; aliqd esse dicit, quod Deus nō possit, blasphemus certē fuerit, qui Deum dixerint falli, mentiri, mori nō posse. Imo, inquit, quum ista non sint potestatis alicuius, sed imbecillitatis, idcirco hoc non est impotentem, sed potius potentissimum Deum facere. Et sanē ita est, quod iam pridem inter cæteros Theodoretus Eutychnianis idem prorsus dogma hac ipsa prorsus ratione defendentibus respōdit. Hic ergo pedem figamus. Quōd Deus qui ex nihilo fecit omnia, omnia penitus immutare atq; adeò solo nutu abolere possit, extra controuersiam est. At illud efficere, vt quod fuerit non fuerit, vel vt aliquid simul sit & non sit, vel simul tale sit & tale non sit, id verò non potest, quoniam ex duobus cōtradictorijs alterum sit falsum necesse est, ipse verò quum Deus sit, mentiri, ac proinde cōtradictoria sic velle
aut

aut facere non potest. Idcirco mendacij quidem Deum, stultitię verò se ipsum arguit, quisquis Dei omnipotentiam isti commento prætexit, quo Christi corpus circumscriptum esse, & tamen (quo vnitas infinitæ naturæ proprium est) pluribus simul locis simul re ipsa adesse, id est, finitum & infinitum, quantum & non quantum, corpus denique esse & non esse fingitur. Dico & illud; Quod esse immutabile Deus semel sine exceptione voluit, id ab ipso ne mutari quidem, nedum aboleri posse: quia deficere à semetipso non potest. Eiusmodi autem esse Christi corpus, vt perpetuò verum illud ac proinde circumscriptum esse oportuerit & oporteat, extra controuersiam pono. Dico & illud, Nec Deum à Deo creari, nec rem creatam in Deum cōverti posse. quia si plures essent Dij, nec Deus esset cui æqualis esset alius creatus, nec Deus iste creatus esset Deus; quia Deum esse & temporis initium habere contradictoria sunt. Caro igitur Christi

euadere Deitas non potuit, nec pro-
 inde incommunicabilibus Deitatis
 proprietatibus donari, in quibus in-
 finitum & ubique simul totū esse non
 postremo loco recensetur. Hoc sine
 verò est Dei omnipotentiam negare,
 vel Plinij illius blasphemam impietatem
 sequi? Negat enim ille Deum posse
 mortales donare immortalitate, aut
 defunctos reuocare, quod non modò
 falsò, sed etiam impiè dicitur. Idem
 negat ipsum sibi posse mortem con-
 sciscere, vel efficere, ut qui vixerit, non
 vixerit, aut ut bis dena non sint vigin-
 ti. Et rectè negat, sed in eo foedissimè
 labitur, quòd hæc esse velit imbecil-
 litatis argumenta, quum è contra-
 riò, idcirco hæc non possit, quoniam
 nec perire ipse, nec mentiri, nec mu-
 tari potest. Sed ecce tandem ad eos
 peruenimus, qui omnium æquissimi
 videntur, cæterisq; vitatis commētis,
 vnis illis Christi verbis nituntur, HOC
 EST CORPVS MEVM, & HOC
 POCVLVM EST SANGVIS
 MEVS. Credendum est, inquit,
 Christi

Christi verbis, quantumcunq; noua
atque adeò carni sensibùsque nostris
incredibilia pronuntiantis. Conce-
dimus. Sed qd si veritati & Analogiæ
fidei minùs consentanea videantur?
nempe credenda quidem sunt, quum
Filius Dei sit ipsa veritas, sed ita expli-
canda, vt per omnia consentiant cæ-
teris Scripturæ locis, & Christianæ fi-
dei capitibus: quia quicquid ab istis
vel minimùm dissentit, falsum esse o-
portet. Talem autem esse eam inter-
pretationem, quæ vel transsubstan-
tiationem vel realem consubstantia-
tionem signorũ & rei significatæ sta-
tuit, pluribus est à nobis demonstratũ.
At si ponatur sacramentalis existentia
rei significatæ, vt in cæteris sacramen-
tis, ita etiã in hoc mysterio, seruetur
carnis Christi veritas, & fidei analo-
gia. Hæc demùm igitur interpretatio
est vt vera & orthodoxa recipienda.
Sed, inquiunt, nullus est hic tropo lo-
cus, & τὸ ἕκτοσιν simpliciter seruãdum.
Quis verò nobis hanc regulam dicta-
uit, quũ illud satis confitet, vsq; adeò
F 2 vsitatum

vsitatum esse, de Sacramentis, quæ &
 ipsa figuræ sunt, figuratè loqui, vt vix
 proferri possit diuersæ locutionis ex-
 emplum? Ratio igitur fuit afferenda,
 cur quod in cæteris valet, in hoc vno
 non valeat. Sed agè propiùs hoc in-
 spiciamus, & singula institutionis
 verba expendamus. Primùm quæro,
 quid velint demonstrantè illo pronom-
 ine, Hoc, demonstrari. Respondent
 Pontificij merè identicam esse enun-
 tiationē, ac proinde nihil aliud quàm
 ipsummet corpus ostendi, veluti si
 dicas, Res ista est meū corpus. Atqui
 necesse est id demonstratum esse, quod
 acceptum & fractum porrigebat, pa-
 nem videlicet, quod Paulus expressit,
 quū diceret, Panis quem frangimus
 est corporis communicatio. & in al-
 tero membro adiectum τὸ σωματός no-
 men manifestè probat hominibus nō
 prorsus contentiosis τὸ αὐτὸ idem valere
 atque οὐτὸς ὁ ἄστος. Et confiteor nul-
 lum hīc esse trōpū, quoniam signū
 propriè explicari necesse fuit, ne falle-
 remur. At nostri antagonista, & qui-
 bus

bus idem penè valet tropus quod hæ-
 resis, quid respondent rogati? nempe
 isto pronomine, Hoc, tum panem
 tum corpus, id est, tum signum tum
 rem significatam re ipsa & essentiali-
 ter vnita declarari. Atqui (vt modò
 dixi) Paulus vnã panis vocem vsur-
 pat, & illud demùm certum est osten-
 di quod acceperat & fregerat Chri-
 stus. Num verò corpus quoque suum
 acceperat & fregerat? Sane si hoc ita
 esse dixerint, non iam pependerit hæc
 coniunctio realis à verbis institutio-
 nis, quum iam antea quod Christus
 acceperat & fregerat, non tantùm pa-
 nis, sed etiam corpus esset. Necessè
 est igitur fateri, Hoc est corpus meum,
 & Hic panis est corpus meum, idem
 valere: quod non modò scribunt ve-
 teres omnes locis innumeris, ac etiã
 Lutherus passim, itẽmque Brentius
 tum in syntagmate tum in Catechis-
 mo, Selneccerus & Eberus totidem
 verbis testantur. Quòd si volunt ni-
 hilominus corpus etiam sic demon-
 strari panis vnitum, ergo synecdoches

tropum admittant necesse est, ac proinde non sine tropo institutionem Christi intelligi. Sed & illud, cui sano homini persuaserint, corpus de pane simul & corpore absque altera synecdoche dici? Iam ergo duplicem tropum comperientur statuere, qui tamen horrendam haeresim esse clamitant. Coenae uerba per tropum intelligere. Iam ueniamus ad uerbum EST. Quum quicquid est non uno modo sit (si quidem Eſt in omnibus praedicamentis locum habet) obsecro, quum isti sic colligunt, Hic panis est corpus Christi, ergo est essentialiter corpus Christi: an non perinde loquuntur ac si dicerent, Iste est animal, ergo est homo? Et rursum, quum sic colligunt, Hic panis est corpus Christi, ergo, Hic panis est corpus Christi, non absens, sed praesens: an minus ineptè ratiocinantur? Corpus autem, quod substantia est, quum dicunt non posse aliter quam substantialiter pronuntiarī, debuerunt Pontificijs hoc relinquere, idcirco transsubstantiationem

nem panis inuehere coactis, vt qui viderunt disparata, non posse mutuo prædicari, ac proinde falsam esse enunciationē, Panem esse corpus, nisi posita panis ipsius vel annihilatione, vel mutatione in corporis substantiā *ἑτερογενῆ*. Itaq; soli isti τὸ ἕν τὸν seruant, & quidem ineptissimè. Hi verò, de quibus nunc ago, quanuis verbo tropum omnem repudient, re ipsa præter illos duos tropos, nempe Synteches repetitæ, alium quendam eumque prorsus admirabilem inuehunt, quum idem volunt significare, Hic panis est corpus meum, atque Corpus meum re ipsa præsens adest cum, vel in, vel sub hoc pane. Certè qui hac posteriore formula vtitur, non quidnā sit corpus, sed vbi sit corpus declarat, ac proinde verbum Est, nō in Substantiæ, sed in prædicamēto Sitius vsurpat. Iam ad ipsum Corporis vocabulū accedo. Accusamur quòd pro vero Christi corpore tradito pro nobis, corpus nescio quod typicum siue symbolicum, siue etiam phanta-

sticum substituamus, quum Corpus dicimus dici de pane, nõ quòd panis sit ipsummet corpus, sed quòd sit symbolum veri illius corporis pro nobis traditi. Hoc sine verò est fictitium corpus Christo affingere, vt isti calumniantur, ac non potius ostendere, quo sensu verum illud vnicum corpus de pane dicatur, nempe non quatenus panis est, sed quatenus est corporis illius sacramentum? Itaque omnes istæ interpretationes, quas ille putidus calumniator Illyricus vt repugnantes exagitat, Hic panis significat sacramentaliter, vel est sacramentaliter corpus Christi, & Hic panis est sacramentum corporis Christi, vnam eandemque per omnia sententiam exprimunt. Corpus autem pro ipso corporis signo passim à veterib⁹ quibusuis orthodoxis vsurpari, velint nolint necesse est nostri aduersarij fateantur, quum ab illis corpus Christi fieri, confici, frangi, consumi dicitur. at cur non etiam, quum in os intrare dicitur? Deniq; quæ hæc est φιλοσοφία? panem

panem esse corporis Christi Sacramē-
 tum, quum inficiari non ausint, cur
 hanc interpretationem non ferunt?
 nempe quoniam vellent dici præsen-
 tis corporis sacramentum. Non igitur
 fuerit controuersia de horum ver-
 borū interpretatione, in quibus nul-
 la est neque præsentia neq; absentia
 mētio: sed duntaxat de eo quæretur,
 Sitne præsens an verò absens illud
 corpus, cuius ille panis sacramentum
 esse dicitur: quam controuersia mi-
 ror, quānam tandem ratione possint
 isti ex illis verbis, Hoc est corpus meū,
 definire. Sed agē ad alteram institu-
 tionis Cœnæ partem transeamus. ce-
 dō igitur quid poculi nomine intel-
 ligitur? nempe ipsorum confessione,
 id quod poculo continetur: vinum
 videlicet, ac præterea; vt ipsi volunt,
 sanguis ipse Christi. Illud concedo,
 istud nego ijs ipsis, quas antè dixi ra-
 tionibus fretus. Siue tamen hoc so-
 lum vinū, siue vnā cum vino sanguis
 etiam ipse demonstratur, necesse est
 istos tam capitales troporum hostes

metonymiam continentis pro contento agnoscere, & eundem illum eiusdem synechdoches tropum, quo fiat ut vinum & sanguis, sanguis esse dicantur. Iam verò quò tandem absq; tropo fœdus ipsum id esse dicetur, quo interueniente fœdus sancitur? Sed illud præterea ex eis libèter quaesierim, si seruatio vsquè ad eò præcisè ⁷⁰⁰ ^{partem} realis illa cõsubstantiatio statuatur, quònam non sequatur, non modò distinctis, sed etiam re ipsa separatis signis, re ipsa quoque corpus à sanguine separari? Sæpè verò cogitanti mihi cur tandem veluti totius nostræ religionis præcipuum caput ista realis cõsubstantiatio tantopere à nõnullis vrgatur, nihil sanè nisi refutatu facillimum venire in mentem potuit. Nisi, inquit, præsens ipsum corpus & ipse sanguis adesse manibus etiam & ore accipiendum credatur, vacua & inania signa fuerint panis & vinum. Siccine verò? Ergo fuerint omnia Pactum, ante re ipsa creatam Christi carnẽ, Sacramẽta inania, - 700 - signis,

signis, inquit Augustinus, diuersa, re
paria. Re verò cuiusmodi? nempe
Christo. Petra enim illa spiritualis, id
est, (vt idem scriptor explicat in Psal.
77.) spirituale aliquid significans, erat
Christus: & eandem atque nos escam
illi ederunt, & eundem potum hause-
runt, Christū videlicet nasciturum, vt
nos iam natum. Quam igitur falsum
est euacuari signa, nisi re ipsa præsens
res significata cum signo copuletur?
Imò num signum est inane aqua Ba-
ptismi? & tamē re ipsa sanguinē Chri-
sti cū aqua consubstantiari neminem
adhuc audiui, qui diceret. Nempe, in-
quirit, quoniam nō dixit Dominus
hanc aquam esse suum sanguinem.
Esto. At illud interea efficitur, nō exi-
nari sacramentum, etiam si alibi
signum, alibi res significata extiterit,
modò verè vtrunque donetur. Et de
hoc quidem tertio capite; id est, de
signi cum re significata coniunctione
sacramentali hæcenus dictum esto.
Summa autem vera & orthodoxæ
sententiæ hæc est, Sacramentalem
cam

eam esse coniunctionem, qua fit, ut ex diuina institutione, quod signis adhibitis significatur, quantumuis procul nunc absens (nempe Christus ipse secundum carnem) tam uerè tamè Spiritus sancti uirtute & spirituali eo quem mox dicemus modo fruendum praebetur, quàm uerè signa ipsa oculis cernuntur, manibus tanguntur, & ore percipiuntur. Iam uerò tandem ad quartam & ultimam quaestionem accedamus, Qualis sit nimirum & ipsorum signorum, & rei significatae sumptio. De signorum igitur acceptione nulla est controuersia, quin sit naturalis & externa, ut quae corporeis instrumentis manifestè a quibusuis accedentibus peragatur. Res autem significata, Christi uidelicet uera illa caro & uerò illis sanguis, sicuti adsunt & praebentur, ita etiam sumuntur. Adsunt autem praebenturque menti & fidei, utpote quae nunc, uti diximus, non sint in terris, sed in coelis, itaque non nisi mente & fide uicissim sumuntur, rectè dicente Augustino, Quid paras

paras os & ventrem? Cibus hic nō est
 ventris sed mentis. Crede & mandu-
 casti. Hinc autem & illud efficitur,
 quosuis quidem accedentes (sicuti
 idem scriptor loquitur) corpus Do-
 mini, id est, corporis Domini Sacra-
 mentum, panem illum videlicet, su-
 mere, at solos fideles. Corpus Domi-
 num, id est, Christū ipsum sacramēto
 significatū percipere. Hic verò duplex
 nobis incidit cum illis antagonistis
 controuersia. Volunt enim illi ore
 quoque percipi rem ipsam significa-
 tam, id est, carnē ipsam & sanguinem
 ipsum Christi, idque, quod necessario
 consequitur, tum à dignis tum ab in-
 dignis percipi. Nos hoc vtrunq; per-
 negamus. ac prius quidē illud oralis,
 quam vocant, perceptionis commē-
 tum ijs testimonijs Scripturæ oppu-
 gnamus, quibus præsentia illam realē
 rei significatæ expunximus. De poste-
 riore verò sic differimus. Vt vniuersa
 Scriptura euoluatur, nusquam inue-
 nietur alia quàm vnius fidei manu
 Christum in verbo siue nudo siue Sa-
 cramentis

eramentis veluti vestito apprehendi. Hic quaerunt, quid igitur amplius in Coena quam in quotidiana praedicatione verbi accipiatur, si vnica spiritalis perceptio sufficit: & si nihil amplius in illa quam in ista percipitur, quorsum Coena fuerit instituta. Respondemus nihil sane aliud in sacramentis quam in simplici verbo praebere, & a creditibus percipi. Quid enim amplius quam Christum ipsum cum omnibus ipsius donis vel nobis largiri Pater, vel accipere ipsi a Patre coelesti possumus? Christo autem ipsi per fidem in simplici quoque verbo nos vniri non illa tantum Christi verba ostendunt, Ioan. 6. Quisquis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, &c. quae pari non possunt antagonista de alia quam de vere spiritali Christi perceptione in verbo intelligi: sed illa quoque expressa, Ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Et illa, Manete in me quum tamen nodum esset instituta Coena Domini: & illa,

Ve

Vt vnum sint, sicut tu & ego vnum
sumus. Et vt vno verbo absoluam, si
sola Christi membra seruantur, ne-
cesse est fateri nos Christo per fidem
verè inseri, etiam antè quàm ad Cœ-
nam accedamus. adeò vt ad Cœnam
nemo ritè accedat, nisi qui iam per
fidem tum in Baptismo tum in verbo
factus est Christi membrum, ac pro-
inde cum Christo ipso est vnitus. Nec
propterea consequitur superuaca-
neam esse Cœnæ institutionem, qua
minimè quidem primùm, sed ta-
men magis ac magis in Christo coa-
lescimus. Quem enim iam posside-
mus, adhuc quotidie nobis quærèn-
dus est: & quo plura ac fortiora sunt
obiccta, eò magis excitatam fidē par-
est tanto efficaciorē reddi. Alioqui
quid isti concludunt, quod nō liceat
ex ipsa prima Cœnæ Domini celebra-
tione aduersus eiusdem repetitio-
nem colligere? Nam certè si super-
uacanea Cœna Domini statuitur, eò
quòd nihil in ea percipiamus, quod
non antea in verbo & Baptismo sum-
pserimus,

pferimus, illud quoque efficitur in-
 utile esse denuò ad Cœnam Domini
 accedere, quũ nihil amplius accipias
 secundò vel sapiùs accedens, quàm
 id ipsum quod iam apprehēdisti quũ
 primũ eò accederes. Sed, aiunt, da-
 tur quibusuis non solus panis, sed pa-
 nis, qui est Sacramentum, alioqui fru-
 strã essent Christi uerba, Hoc est
 corpus meum. Concedo. Sed nego
 consecutionem, Datur quibusuis v-
 trunque, ergo à quibusuis utrunque
 accipitur. Porriguntur enim duo, v-
 num corpori, alterum menti: vnum
 corporis instrumēto vel ad vitam vel
 ad mortem: alterum fidẽ non nisi ad
 vitam apprehendendum. Quid mirũ
 est igitur, daobus diuerso instrumen-
 to accipiendis, quantumuis eodem,
 vt loquuntur, actu præbitis, vnum à
 quibusuis corporis organum cõmu-
 ne afferentibus accipi, alterum non nisi
 ab ijs, qui alterũ illud spirituale vni-
 cũque Christo ipsi apprehendendo
 aptum instrumentum afferant, perci-
 pi? Et hinc rursus vididete, obsecro,
 quanta

quanta sit vis veritatis. Qui pro indignis tam peruicaciter, & certè nullo Ecclesiæ fructu, cõtendunt (quorsum enim de illis tantopere laboramus?) tamè distinguunt inter indignos nõ satis Christiane viuentes, aut alioqui non satis ad Coenę sumptionem preparatos, qui tamen Christi quoq; carnem accipiant, idque ad exitium nisi resipuerint: & eos qui planè sunt impij & infideles, qui nihil præter signa percipiant. Atqui si vera est illa realis consubstantiatio, quicumque signa sumunt, sine vlla prorsus exceptione, imò (sit honos auribus, neque hoc quisquam vt blasphemè dictum accipiat) ipsæ panem illum edentes, & vinum illud haurientes bestia, Christi quoq; carnem & sanguinem sumpserint. Excipiunt indignos dici reos corporis & sanguinis Domini. Concedimus. Num verò quòd indignè corpus & sanguinem sumpserint? nequaquam: sed quòd indignè ex pane illo ederint, & ex illo poculo biberint, siue quòd corpus Domini non

G

dijudica-

dijudicarint. Redundat enim in rei significatæ & oblatæ contemptum, illa indigna sacrorum symbolorum usurpatio, quum reus etiam maiestatis Cæsaris censeatur, qui Cæsaris statuam vel imaginem per cõtumeliam violaret. Itaque rei sunt corporis & sanguinis Domini, non quæ acceperint (nisi ut sæpè occurrit apud Patres, Corpus pro corporis signo acceperis:) sed quæ incredulitate sua reiecerint. Etenim separari à viuifica illa sua virtute Christus ipse non potest, proinde à quocunq; percipitur, (percipitur autem à solis fidelibus) eos necesse est, sicut ipsemet clarè testatur, ab æterna morte liberari. Et quum isti contrà excipiunt, ad iudicium quoq; dari Christum, ipsa quidem audientium culpa, fatemur id quidem, sed incredulitate repudiatum, nõ autem fide receptum. Quòd denique iidem existimant non posse verè Christum ipsum communicari, nisi manibus etiam & ore re ipsa apprehensum, ac proinde non ipsiusmet Christi, sed tantum

tantum ἐνεργείας κοινωνίας à nobis poni, age etiam expendamus. Primum igitur sciendum, quum corporalem manducationem tollimus, ut spirituales ac mysticam statuamus, non de re ipsa quæ communicatur, sed de communicationis modo utrunque hoc intelligi. Neque enim dixit Christus, Hoc est mortis meæ meritum aut beneficium, sed, Hoc est corpus illud meum traditum pro vobis. Nec arbitramur ipsummet Christum minus inscite separari à sua efficacia, quum de spirituali alimonia quæritur, quam si quis inficietur oportere à nobis ipsummet panem comedi, & ipsummet vinum bibi, ut postea corporale nutrimentum inde hauriamus. Sed hunc participationis modum dicimus non esse corporalem, neque corporeis instrumentis peragi, sed spirituales & mysticam, utpote qui sola fide peragatur, rem oblatam in verbo & Sacramentis amplectente. Quod si fieri hoc posse negent propter tantum locorum interuallum, desinant nos tandem


impietatis accusare, quasi Dei omni-
 potentiam negemus, aut ex humana
 philosophiæ regulis de isto mysterio
 iudicemus, Fatemur tamen locū huic
 obiectioni fore, si per *κοινωνία* intelli-
 gatur quædam corporis Christi cum
 nostro, realis applicatio seu permix-
 tio, siue totius cum toto, siue partiū
 eum partib⁹, vt sit Ecclesia re ipsa cor-
 pus ex innumerabilibus credentium
 corporibus cū Christi corpore re ipsa
 conflatis veluti ferruminatum. Sed
 apagè à nobis istud portentum. Quis
 enim corpus hoc ex ista *κοινωνία* con-
 surgens, & ad vitam spiritualem pe-
 nitus pertinens, mysticum esse non
 intelligit? Verè igitur sed spirituali
 modo & mysticè vnū per fidem cum
 ipsomet Christo sumus, vt ex ipso vera
 in nos vita diffuset: & sicuti membra
 ista cum anima naturaliter iūcta inde
 sensum ac motum recipiunt, ita nos
 spirituali inexplicabiliq; modo (ma-
 gnum enim est, vt ipse Paulus excla-
 mat, istud Christi & Ecclesiæ spiritua-
 lis connubij mysterium) in Christo
 viuamus


viuamus ipsius Spiritu acti, & ipse in nobis suam ἐνέργειαν exerat. Hoc ceterum verò est cōmunicationem ipsi⁹ Christi tollere, ac nō potius verè diuinam ac cœlestem statuere? At si cum istis oralem illam statuas, non sanè fuerit stupēdum aut insigne quippiam ista communicatio. Quid enim est magis naturale & cōuetum, quàm vt quippiam re ipsa præsens, si nobis edēdum tradatur, manu accipiamus, & ore deglutiamus? Sed nos, licet nunc in terra & non alibi positos homunciones, nihilominus verè ac re ipsa fieri carnis & sanguinis ipsiusmō Christi in cœlis ac non alibi nunc secundū carnem residentis membra, & inde æternæ vitæ succum re ipsa haurire, nō obstante tanto locorum interuallo, id verò omnem humanum captum superat, estque illustre tum veritatis tum omnipotentiae Dei testimonium. Atque ita etiam eorum calumniae respōsum esto, qui sacrum hoc mysterium claustrum transformari, quum menti ac


fidei totū hoc tribuimus. Nam si hoc
 verè concludunt, qd superest vt Chri-
 stianorum quoq; Baptismum phan-
 tasma quoddam inane esse dicamus,
 & imaginariam eorum salutem qui
 prius intereant, quàm Coenæ Domini
 interesse poterint? Quòd si natura-
 lis ipse intellectus & assensus vsque
 ad eò efficax est, vt his facultatibus
 adiuti tot rerum periti euadamus, nō
 hoc effecerit in nobis fides, excellens
 illud Spiritus sancti donum, vt quod
 fide accipiendum offert Deus, hoc i-
 psum verè ac re ipsa quantumuis lon-
 gissimè positum apprehendamus? &
 quum Solis quantumuis procul po-
 siti calore orbis uniuersus vegetetur,
 non poterit scilicet Christus, carne
 ipsius & sanguine in cœlo permanē-
 tibus, siquæ ad eò verè nostrum esse
 mysticum caput, vt æternæ vitæ succū
 nobis instillet? Sed de istis hactenus
 dictum esto. Volui autem pluribus
 hæc vobis, Fratres, explicare, aduersus
 maleuolorum calumnias, vt cognita
 Ecclesiarum nostrarum orthodoxa
 doctrina,

doctrinā, nemo eorum qui ad hanc
Ecclesiam accedunt, cœtus nostros
ac præsertim sacram synaxin intra
paucos dies celebrādam refugiat: sed
vt potiùs religiosè omnes sacrū hoc
epulum celebremus, Deum precati vt
turbulētos spiritus compescat, rectè
sentientes confirmet, det nobis om-
nibus denique vt in ipso vnanimè
vitam in hoc seculo innocentem exi-
gamus, ac tandem in æternā quietem
recipiamur à Domino nostro Iesu
Christo, cui laus sit & gloria cum
Patre & Spiritu sancto in se-
cula seculorum,
Amen









E.
2